2

DE HEBRAICORUM CHARACTERUM IN SACRIS BIBLIIS ORIGINE ET ANTIQUITATE DISQUISITIO ELENCHTICA

AUCTORE

FR. HYACINTHO ARIZZARRA

ORD. PRÆD.

ACAD. ETRUSC. CORT. ABORIGEN. ROM.

ET IN MUTIN. UNIVERSIT. SACR. LIT. ET LING. ORIENT.

PUBLICO PROFESSORE.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

MUTINÆ MDCCLXXXII.

APUD SOCIETATEM TYPOGRAPHICAM.

Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO

AD LECTOREM.

HEbraicæ linguæ peritiam prodeſſe plurimum iis, qui in ſtudio verſantur Sacrarum literarum explorata res eſt. Quamplurium enim verborum quæ Sacri Codices complectuntur, nemo erit perfectus ac cumulatus interpres, ſi peregrinari eum contingat in ea lingua, in qua primo conſcripti ſunt. Hieronymus hanc vidit utilitatem, ob eamque cauſam moleſtum ſuſcepit laborem Hebraicæ linguæ addiſcendæ, non ſolum ut Scripturas in latinum verteret ſermonem, cui operi cognitio illa neceſſaria fuit, ſed etiam ut earumdem ſenſus inveſtigaret. Quod vero in antiquioribus Eccleſiæ ſæculis utile fuit, decimum quintum ſummopere expetebat. Etenim tunc temporis cum non defuerint, qui in religionis negotio non amplius audituri Eccleſiam, ſed parati ea credere & perſequi, quæ unice ipſis arriſiſſent; artem

excogitarunt ſeſe tuendi ab omni argumentorum vi, qua premebantur; ſimulque quod venditabant impudenter, ut quidpiam roboris ac veritatis præſeferret. Nulla interim aptior viſa eſt, quam ut auctoritates Scripturarum ab ipſo originario textu repeterent. Hinc factum eſt, ut quorumdam catholicorum arma, licet optima adverſus veteres hoſtes, contra ipſos nihil valerent. Ipſi enim latinam verſionem rejiciendam conclamabant, & ſolum Hebræum textum conſulendum. Opus itaque erat, ut quibus muniebant ſe præſidiis, eiſdem profligarentur. Et certe ii ex noſtratibus ſtrenue dimicarunt, ac præ cæteris excelluerunt in refutandis illorum erroribus, quibus datum erat adire fontem Hebraicum. Ea enim methodo quæ hauſerant è Vulgata in confirmationem catholicæ veritatis, oſtendebant apprime congruere cum Hebræo textu. Si autem hoc ſtudii genus expoſcitur in iis, qui ad vindicanda ſe conferunt fidei dogmata ab illorum commentis qui originario textui nituntur, eo vel magis in quavis ætate contra Hebræos. Ipſi enim

non-

Digitized by Google

nonniſi quod ſuum eſt commendant, & adprobant, cætera deſpicatui habent. Unde quos audiunt Theologos, qui eos adgrediuntur cum verſionum teſtimoniis, contemnunt, & irrident, etiam propter unius voculæ diſcrepantiam; cumque ſuum Talmudem ſuoſque Magiſtros venerentur etiam, ii potiſſimum habentur idonei ad evertendam eorumdem ſuperſtitionem, quibus nedum ſcripturarum lingua, ſed & rabbiniſmus compertus ſit. Quare ſcriptores illi, qui Judæorum perfidiam petunt, licet Hebraicis textibus libros exornent ſuos, & augeant; parum vel nihil obtinent, niſi curam habeant, & confirmandi ea quæ adſerunt, cum auctoritatibus, ſi ſuppetant, rabbinorum; & ubi magiſtri iſti diſſentiunt, oſtendendi etiam quam longe a vero ſint ipſorum diſſenſus, atque præpoſteræ ac fabuloſæ quas obtrudunt, Verbi Dei expoſitiones. Hinc optimo ſane conſilio proviſum ſæpe eſt, ut in celebrioribus publicis Archigymnaſiis non deeſſent, qui Hebraicam linguam traderent. Et re quidem vera nulla eſt bene inſtituta ſcientiarum

Aca-

Digitized by Google

Academia, in qua ſileant Hebrææ literæ.

Hæc quamvis clara ſint & perſpicua, adhuc tamen non deſunt, qui Hebraicas abhorreant literas, & quamplures etiam qui huic ſtudio adjicerent animum, ab eodem enituntur abducere. In confirmationem vero ſuæ opinionis ſententiam proferunt Capelli, Voſſii cæterorumque, qui ipſis adſtipulantur. Ludovicus Capellus poſteaquam probare conatus eſt *ipſas literas originarii textus non eſſe genuinas illas & primigenias Hebræorum*, ſubdit, *textum noſtrum Hebræum in locis quampluribus ſenſum gignere manifeſte falſum, abſonum, inſulſum, incommodum, inconvenientem, ac proinde melior & verior lectio quærenda ſit e verſionibus.* Iſaacus vero Voſſius longe ſanctiorem prædicat Codicem Samaritanum, quam Hebraicum; nam *Samaritanus*, inquit ille, *ſervat characterem Moſis, Hebraicus vero Chaldaicis literis eſt exharatus*. Hæc & alia hujuſmodi proferunt homines iſti. Nos itaque eorum judicium expendendum ſuſcipimus, & ne ab hujuſmodi ſtudio, qui re-

rebus ſacris incumbunt, deterreantur, pro viribus adfirmare contendimus, characterem quem præſeferunt etiamnum Hebræi codices, ipſum eſſe quo uſus eſt Moyſes, & reliqui Sacri Scriptores, nullamque ab ea longiſſima ætate uſque in præſens etiam circa literas factam eſſe permutationem. Qua de re Hebraicum nuncupamus, propterea quod comparuerit ſemper in Sacris Bibliis. Sed hæc inſtituti noſtri ratio in capite primo uberius enucleatur. Illud animadvertere hoc loco juverit Eccleſiæ ſtatuta neutiquam collidi inter ſe; neque ubi definiit authenticam editionem Vulgatæ verſionis quidpiam dignitatis detrahere voluiſſe exiſtimandum Hebræo textui, neque a linguæ Hebraicæ ſtudio arcere neminem cum illud tantopere commendarit. Etenim decreto illo Vulgatam jure merito cæteris anteponit Verſionibus; at de gradu ſuo non dejicit Hebræum textum, quemadmodum teſtantur Salmeronius, Vega qui Tridentino Concilio interſuit, Bonfrerius, Xiſtus Senenſis aliique permulti. Authentica dicitur, notat Natalis Alexander, quia ni-

Digitized by Google

nihil continet fidei, & bonis moribus repugnans. Non ſic vero dicitur, quaſi fontibus Hebraicis vel Græcis præferenda, aut etiam coæquanda. Textus originarii in eo ſtatu relicti ſunt, in quo erant. Hæc ſunt quæ breviter præfari conſtituimus. Utrum vero cauſæ, quam pertractamus, reſpondeant etiam argumenta, judicent eruditi Lectores. Quod ſi aliter ſenſerint, eoſdem obteſtamur, ut noſtram de textu Hebræo bene merendi voluntatem libenter excipiant.

CA-

Digitized by Google

CAPUT PRIMUM.

De ſtatu & conditione hujus quæſtionis.

DIU multumque diſputatum eſt exacto proxime ſæculo ab eruditiſſimis viris de Hebraicarum literarum vetuſtate, quas exhibent libri veteris Teſtamenti, quæque communiter Chaldaicæ vel etiam quadratæ litteræ nuncupantur. Quamplures ſiquidem in ea fuerunt opinione verſati, ut exiſtimarent non alio charactere quam Samaritano exharatos olim fuiſſe divinos libros, quem ſubinde poſt reditum e Babilone abjecerit Ezdras, eumque invexerit, qui in Chaldæorum regione uſurparetur, quam diuturna captivitate incoluerunt Iſraelitæ. Alii vero huic opinioni non acquieſcentes, characteres quadratos, propugnarunt, nullum in ſacris libris auctorem agnoſcere præter Moſem ipſum cæteroſque ſacros ſcriptores; neque ulli umquam ſubjeciſſe permutationi, ſed eoſdem omnino ſub quavis ætate diligenter ſervatos ad hæc uſque

B tem-

Digitized by Google

tempora perveniſſe quemadmodum in hodierno etiam Hebræo codice perleguntur. Poſt tot tamque vehementes concertationes, quibus factum eſt, ut utrique opinioni non defuerint qui uni ſubſcriberent, interea dum alii alterius ſuſciperent defenſionem, eique adhærerent; ſublato deinceps cujuſque partis conflictu, paucos reperies qui Hebraicorum characterum remotiſſimæ faveant antiquitati, ſed recepta communiter, & adprobata ſententia eſt, eorumdem in codice ſcripturarum initium tantummodo ab Ezdra eſſe auſpicandum. Quod vero admirationem vehementer excitat, nonnulli id habent pro re certa atque explorata, ut nulla inter ſacræ Philologiæ controverſias, quæ plurimum agitaverint, & ingenia contorſerint eruditorum, ita ſit abſolutiſſime demonſtrata; proindeque contrariam ſententiam vel reſpuant ſolum negando, vel ne nominent quidem. Illud etiam animadvertendum ſane eſt, quod ſæpiſſime uſuvenit, plures ex recentiorum numero, cum jam noverint in quam partem deflexerint ii præſertim ſcriptores, qui ob alias cauſas præclariſſimi habentur, idcirco ad eamdem confugiunt opinionem, propterea quod viros illos magni nominis & delectaſſe viderint, & rapuiſſe, quos procul dubio imitatos dixeris Pithagoreos, apud quos tantum magiſtri auctoritas valebat. Hinc eſt quod non pauci ea ducti ſecuritate, qui vel præloquia cuderunt vel apparatus ad Scripturarum intelligentiæ conquiſitionem, idipſum ſtatim confirmant; quos plerumque ſequuntur ii qui prolegomena inſtituunt, ac fontes locoſque concinnant Theologiæ dogmatum.

Huc

Digitized by Google

Hucuſque tamen quæſtionem hanc penitus non eſſe diremptam non ii ſoli ſumus qui cenſeamus, ſed id probatum legimus a doctiſſimis viris. Nuperrimi ſiquidem Scriptores Anglici (1) inter dubias conlocant quæſtionem hanc, prudenterque hærent ancipites, cui opinioni ſubſcribant. Et jam Bernardus Montfauconius (2) licet adverſariorum ſententiæ favere videatur, concedit tamen adhuc examini locum eſſe, & aliis inveſtigandam relinquit, cum propoſitum ei fuerit non de Hebraica tractare, ſed de lingua græcorum. Nos non latet, argumenta omnia, quæ ad labefactandam Hebraici characteris vetuſtatem excogitavit Ludovicus Capellus (3), quem ſecuti ſunt Iſacus Voſſius (4), Brianus Valtonus (5), & Joannes Morimus (6), aliique, illiuſmodi ponderis ac momenti cenſeri a multis, ut non ultra aliquod de illius certitudine ſuper ſit dubium. Verum id ſibi ſuadere nequeunt, niſi ii, qui ſcriptores illos, qui in contrariam ſententiam iverunt, nequaquam conſuluerint. Ipſi quoque ſedulam navarunt operam in hujuſce cauſæ inveſtigatione, quibus certe, ut huic muneri pares eſſent, nulla defuit neceſſaria cognitio. Porro hanc laudem ſibi promereri Joannem Buxtorfium inficiari nequit. Hunc autem Capello diſſentire conſtat, & propugnare (7) perpetuo Samariti-

(1) Hiſtor. Univerſ. T. 2.
(2) Palæogr. Græc. cap. 2.
(3) In arcan. punct. revel. & in Diatr. de antiq. Hebr. liter.
(4) Diſſert. de Septuag. Interpr. & Chron. Sacr.
(5) Proleg. ad Poligl. Lond.
(6) In exercit. Bibl. & præf. ad Pent. Sam.
(7) Diſſert. de Hebr. lit. gen. antiq.

Digitized by Google

riticum characterem numquam in ſacris Hebræorum Bibliis comparuiſſe. Hunc autem non pauci, qui eodem quo ipſe inſtructus fuit, eruditionis genere excelluerunt, non temere & incognita cauſa ſequuti ſunt. Hos inter principem obtinent locum Franciſcus Junius (1) qui inter Mileſias fabulas Capellianam ſententiam enumerat, Stephanus Morinus (2), Vilelmus Schiſchardus (3), Benedictus Carpzovius (4), Chriſtophorus Volſius (5), Marcus Marinus Brixienſis (6), Julius Bartoloccius (7), Simeon Muiſius (8), Cæſar Baronuſus (9), & Ricchardus Simon, qui licet in Hiſtoria critica veteris Teſtamenti aliter ſenſerit, attamen re accuratius perpenſa tum alibi, tum præcipue in Bibliotheca critica contra Dupinium palinodiam canit. Nobis itaque non deeſt præſtantiſſimorum hominum illuſtre præſidium, ſi tueamur, nullam in ſacris Bibliis circa characterem innovationem factam fuiſſe neque Ezdræ manu, neque peculiari ipſius ordinatione, neque deinceps a quovis alio; cumque ex nonnullorum judicio optimæ notæ eruditorum diſquiſitioni adhuc pateat aditus profecto non inutiliter in hac quæſtione verſamur. Sed progrediamur longius, & ita agamus, ut

nihil

(1) In comment. de opt. gen. Hebræ. gramm.
(2) In exercit. de ling. primæva, ejuſque appendic.
(3) In Bechinnat appenuſcim.
(4) In not. ad ius reg. Ichiſchard.
(5) Biblioth. Hebræ. parte II. ſect. VI.
(6) In Arca Noe, ſeu Theſ. ling. ſanctæ lib. א
(7) Biblioth. Rabb. parte IIII.
(8) In aſſert. Hebræ. Veric. ad calcem comment. ſuper Script.
(9) Ad ann. Chriſt. 180. XVII.

nihil nobis aſſentati eſſe videamur; quæque ab adverſariis dicuntur, ſic perſequamur, ut nihil, cui ipſi nituntur, relinquamus.

CAPUT SECUNDUM.

Nihil eruitur ex Scripturis circa ejuſmodi immutationem.

QUæſtioni propoſitæ de quadratorum characterum vetuſtate manus procul dubio admovenda non eſt quin prius pro re certa atque explorata penitus habeatur, quid operis ac laboris exercuerit Ezdras ſupra codicem Scripturarum juxta quod referunt Scripturæ ipſæ, cum fere omnes qui contra opinantur, velint Ezdram hujuſce immutationis auctorem. Etenim hoc ſemel conſtituto facilius viam ſternimus ad faciendam fidem argumentorum, quæ undequaque peti poſſunt, & ad ea repellenda, quæ in nos depromi ſolent. Libeat ergo ipſos Scripturarum textus proferre, ut quid egerit Ezdras ſuper Scripturas, plane innoteſcat. In ſeptimo capite libri Ezdræ verſu ſexto hæc leguntur: *Ipſe Ezdras aſcendit de Babilone, & ipſe Scriba velox in lege Domini quam Dominus Deus dedit Iſrael.* In capite vero octavo hæc habentur: *Attulit Ezdras Sacerdos legem coram multitudine virorum & mulierum, cunctiſque qui poterant intelligere, & legit in ea aperte de mane uſque ad mediam diem in conſpectu virorum & mulierum & ſapientum, &*

aures

Digitized by Google

aures omnis populi erant erectæ ad librum. Hæc ſunt genuina Hiſtoriæ ſacræ teſtimonia, quæ quid egerit Ezdras ſuper Scripturas, nos inſtruunt. Coram populo ſolum tradunt præcepta Dei legiſſe Ezdram, neque ullum prorſus ſuppeditant veſtigium, quo innovationem circa literas in eodem codice erui poſſe videatur. Unde ſi eam ſilentio prætereunt, quonam erunt præſidio iis, qui pro eadem decertant? Earum ſiquidem rerum, quæ ad Hiſtoriam pertinent, non ſolum in dubium vocare exiſtentiam, ſed negare etiam prudentis erit, quoties illorum temporum Hiſtoriæ mutæ omnino ſint. Hoc autem eo vel magis, ſi perſonam, cui peculiare opus tribui velimus, & ipſæ commendent, atque in geſtis ejuſdem enarrandis potiſſimum immorentur. Unde appoſite animadvertit Bartoloccius, cum Ezdras in ſua Hiſtoria tot tantaque recenſeat, quæ ſine ullo poterant Hiſtoriæ præjudicio reticeri, uti nonnulla, quæ libro primo Ezdræ capite ſeptimo & octavo deſcribuntur; cur de hac quoque mutatione characteris nullam plane fecerit mentionem? Credibile nullo modo eſt factum hoc ſatis dignum, ut memoriæ mandaretur poſteritatis, in ſuam noluiſſe Hiſtoriam transferre. Et quamquam iis in locis vocetur titulo Scribæ, non inde tamen colligi poteſt literas immutaſſe Scripturarum. Duplicis generis apud Hebræos fuiſſe Scribas tradunt eruditi (1). Ita enim nuncupabantur publici tabellarii, ii nimirum qui in publicis actis conſcribendis occuparen-

(1) Thom. Goodvin. Moſes & Aaron. Sigon. & Cunnæus de Rep. Hebræor.

rentur. Alii vero ſcribarum nomine inſigniti leguntur, qui veluti legis periti habebantur ac doctores, eorumque munus fuit tum legem interpretari, exponere, & legere coram populo, familiarum genealogias perſpectas ac notatas habere, ac fideliter cuſtodire; tum etiam dubia dirimere ac quæſtiones, quæ ad ejuſdem legis obſervantiam ſpectarent. Ex iſtorum numero fuiſſe Ezdram diffiteri nequit, cum conſtet abunde ex allatis teſtimoniis eo munere functum fuiſſe. At ex officio quod apud gentem ſuam exercuit, propugnari nequit, quod contendunt adverſarii. Cum adhuc Babilone moraretur, celebrabatur veluti excellens ſcriba, cum illius cor ſervitutis tempore eo jugiter intendebat, ut inveſtigaret legem Domini, & faceret & doceret præceptum in Iſrael, & judicium. Hæc autem munia cum exerceret etiam poſt reditum, nihil ſupereſt fundamenti ut adſtruamus immutationem illam ab eodem factam fuiſſe, cum nihil addant Hiſtoriæ.

Neque vero quidpiam faceſſunt negotii quæ leguntur verba apud Scriptorem libri illius qui Ezdræ quartus inſcrībitur (1) in quo traditur ſanctas Scripturas ſpiritu Dei afflante de novo conſcripſiſſe Ezdram, utpote quæ in diuturno Babilonicæ ſervitutis jugo interierint. Hoc autem maxime arridet Judæis (2), ob eamque cauſam ſummis laudibus celebrant Ezdram, & vocant alterum Moyſem, utpote qui eadem ratione ac Moſes Dei eloquia conſcripſerit; ac nonnullis viſum eſt, Malachiam, quæ vox angelum

(1) Cap. 14. v. 20. & ſeq.
(2) Buxtor. Tiber. cap. 3.

lum indicat, eſſe ipſum Eſdram, ita ut hoc nomen fuerit ipſi proprium, alterum vero officii. Et certe ſi indubium foret hujuſmodi Hiſtoriæ monumentum, probabile etiam ſuppeditaret adverſariis argumentum, cum conſentaneum omnino fuerit, cum ſcriberet ad Judaicæ gentis utilitatem, characterem illum adhibuiſſe, quem præcipue Judæi agnoſcebant. Illud tamen a veritate alienum omnino eſſe ex luculentiſſimis verbi Dei teſtimoniis comprobatur ita dilucide, ut nihil magis. Nuper obſervatum a nobis eſt Eſdram Scribæ nomine fuiſſe inſignitum cum adhuc Babilonem incoleret, cui quidem nomini reſpondet uti vidimus, munus vacandi Scripturarum lectioni; cumque ille huic rei operam daret in eadem urbe, ibi profecto Scripturarum libri reperiebantur. Rogatus etiam a ſuis paulo poſt reditum ut afferret librum legis Moiſi, legeretque coram multitudine, ſtatim eorum voluntati obſecutus eſt. Iviſſe Babilonem quamplures ex ordine tum levitico tum ſacerdotali certum eſt, quos nullum detuliſſe ſecum legis exemplar, & in re tanti momenti deſides omnino fuiſſe dici nequit. Illos etiam, qui ſervitutis tempore floruere, ſanctiſſimos viros, qui ſuæ gentis mores, quos præſcripſit Moſes, conſtanti fidelique animo ſervavere, quos inter annumeratur Mardocheus, Eſter, Tobias, aliique, credendum eſt Scripturarum libros nedum percurriſſe, ſed ne vidiſſe quidem? Suſannam a parentibus ſuis juxta legem Moſis optime fuiſſe inſtitutam auctor eſt Daniel (1). Ipſum quoque Danielem tenuiſſe librum Jeremiæ va-

(1) Cap. 13.

Digitized by Google

vaticinationum, ex verbis illis plane colligitur ubi ait ſe intellexiſſe in libris numerum annorum, de quo factus eſt ſermo Domini ad Hieremiam Prophetam, ut complerentur deſolationis Jeruſalem ſeptuaginta anni (1). Ex ſecundo vero Machabæorum non obſcure traditur Hieremiam fratribus euntibus in Chaldæam varios donaſſe Scripturarum codices, ut eorumdem haud obliviſcerentur, eorumque lectione facilius ſimulacrorum cultum abhorrerent. Commode eos legere potuiſſe in dubium verti nequit, cum volumen illud non in odium inciderit Chaldæorum, neque vetitum umquam ne illud Hebræi legerent, quin potius contrarium eruitur ex pſalmo ubi invitantur ad decantandos hymnos, quos canere ſoliti erant in Sion (2). Et Baruch Propheta, librum quem ſcripſit, publice legit Babilone audiente Jechonia, & univerſo populo, ejuſdemque exemplar ad illos qui remanſerant in Jeruſalem miſſum fuit (3). Alibi etiam loquitur de lege Moyſis quaſi de libro qui adhuc extaret (4). Inſuper ſi valeat in hac cauſa Joſephi auctoritas ab ipſomet inſtruimur (5) Hebræos Cyro Regi teſtimonium illud oſtendiſſe Iſaiæ, in quo aperte illius nomen, imperium, & geſta deſcribuntur. Sed quod rem maxime conficit illud eſt quod ex libro primo Ezdræ depromitur (6). Ibi enim me-

(1) Cap. 2. v. 2.
(2) Pſalm. 132. v. 4. & ſeq.
(3) Cap. 1. v. 3. & ſeq.
(4) Cap. 2. v. 2. & ſeq.
(5) Lib. 11. Antiquit.
(6) Cap. V. & VI.

Digitized by Google

moriæ proditur, annõ ſexto Darii Regis templum ſecundum fuiſſe ædificatum, & Sacerdotes una cum levitis in ſuis officiis conſtitutos fuiſſe juxta quod mandaverat lex Moyſis. Ut itaque hæc rite agerentur, & appoſite ad legis præſcriptum, neceſſe utique erat habuiſſe ſcriptam hanc legem, ut ne latum unguem ab ea diſcederent, & ea potiſſimum de cauſa, quia ritus & cæremoniæ multiplices erant. Hæc autem contigerunt multis annis ante reditum Ezdræ in Jeruſalem. Sed in re ſatis aperta non eſt cur diutius immoremur, præſertim cum id in confeſſo ſit fere apud omnes, qui ob eamdem rationem, & alias etiam, quas hic referre locus non eſt, conſentiunt quartum Ezdræ librum non mereri ut inter canonicos computaretur (1). Hæc tamen quæ diximus neceſſaria omnino erant, cum opinio de immutatione characterum, quatenus a nonnullis veterum recepta eſt, totam repetit originem ſuam a commento iſto quod obtrudit Pſeudoeſdra, uti ſuo loco videbimus. Interea cum fidem damus Joſepho, qui libro primo contra Appionem munus fuiſſe tradit Sacerdotum, ſublata qualibet reipublicæ calamitate, rebuſque in pace compoſitis, ſacros codices diligenter excurrere ne quid aliena manu adjunctum fuerit vel ademptum; fatemur etiam laborem hunc ſuſceptum ab Ezdra fuiſſe, & ſanctos libros a nævis ſi qui irrepſerint emendaſſe, ac priſtino nitori, & integritati reſtituiſſe. Non eſt tamen cur adfirmemus in ſacra Biblia no-

vos

(1) Vid. Chriſt. Volſium, & Joan. Albert. Fabric. Bibl. Græc. T. III. & Codic. Pſeudoeigraph.

Digitized by Google

vos invexiſſe characteres, cum id Scripturæ non tradant, quin potius ex iis quæ de Ezdræ Officio nos docent, contrarium colligatur. Legebat enim ipſe Scripturas pro ſuo munere in Babilonia captivitate, legebant & alii multi, unde neque interierunt, neque opus erat ut immutarentur literæ.

CAPUT TERTIUM.

Expenditur cauſa, quæ reddi ſolet, cur Ezdras veteres literas abjecerit, petita ex diuturnitate Babilonicæ captivitatis.

SI Dei Providentia factum eſt ut quemadmodum in adverſis aliis Hebraicæ reipublicæ temporibus, ita funeſtiſſimo illo in quo Babilonem captivi deportati ſunt, conſervarentur Sacrorum librorum Codices; ac propter non infrequentem eorumdem lectionem non deperdita ſit Characteris intelligentia, nulla profecto ſupereſt cauſa qua moveretur Ezdras ad ejuſdem immutationem. Quamplures tamen comminiſcuntur adverſarii, ac primo nonnulli ex ipſis ad id permotum volunt Ezdram, ut commoditas afferretur Judæis legendi Scripturas, qui ſeptuaginta annorum ſpatio cum Chaldæis commixti eorum characterem didicerint ſicuti & linguam, quæ ipſis vernacula evaſit, & familiaris. Huic tamen rationi occurri primo poteſt percontando ab adverſariis, cur Ezdram ſollicitum faciunt ſuper immuta-

tionem literarum ut Hebræi Scripturas legere poſſent, non vero linguæ, ut verborum ſignificationem aſſequerentur? Si hæc profecto immutata non eſt, non oportebat etiam ut immutarentur & literæ, niſi velimus curaſſe Ezdram ut legerent Scripturas, non vero eas dum legerent, intelligerent. Mos ſiquidem legendi Scripturas in Sinagogis eo tendebat, non ut voces tantum auſcultarent legis, ſed potiſſimum ut caperent ſenſum, ac deinde probe ſcirent quid juberet lex quid vetaret, & ipſi ad legis præſcriptum ſuas actiones componerent. Sed videamus num contigerit Hebræos in Chaldæorum regione detentos tantum conſuetudinis obtinuiſſe in Chaldaicæ linguæ uſurpatione, quod eſt fundamentum adverſariorum, unde adſtruant idem exiſtimandum de Charactere.

Quamdam Babiloniæ exercuiſſe judiciorum formam ex Daniele ſatis colligitur (1), cui addendum eſt, commercium ad invicem, quoad licuerit, exercuiſſe, & aliorum devitaſſe conſuetudinem, ut obſervantiam legis, quantum loci ac temporis ferret conditio, fideliter cuſtodirent. Quæ res conſervationem promovent quidem, & uſum familiarem proprii idiomatis, qui augeri firmarique poterat ex non infrequenti Scripturarum lectione, quam apud illos probatum abunde eſt viguiſſe. Quapropter etſi veriſſimum ſit integram gentem alio tranſvectam, ſuam paullatim deperdere & habitantium linguæ aſſueſcere; non ita tamen abſolute ac ſine ulla exceptione cenſendum eſt de Hebræo-

rum

(1) Cap. 13.

Digitized by Google

rum gente, quæ licet uſurpaverit etiam decurſu temporis aliquantum Chaldæorum linguam, ſuæ tamen, ſpectatis iis quæ diximus, oblivivíſci nequicquam poterat. Rem tamen propius inveſtigemus.

Graviſſimas eaſque multiplices cauſas ſimul convenire oportere contendunt jure merito eruditi, ut proprio abjecto idiomate familiarem ſibi adſciſcat quævis integra natio alienam linguam, quæ ſi deficiant, numquam ſatis id erit aſſecutura. Ac primo longiſſimi temporis ſpatium excurrere oportet, ut populo, qui alio transferatur, alienæ linguæ uſus accedat, & ſuæ obliviſcatur omnino. Requiritur etiam ut ibi ſedem ac domicilium perpetuum conſtituere velit. Id vero ſatis non erit, niſi qui ſedem alibi figunt, ita cum iis ad quos deſcendunt, commiſceantur, ut vix aut parum in ſuorum communione verſentur, etiam ſolliciti ſint gradus, dignitates, honores & commercia potiſſimum conquirere, quibus ſe tuetur & eſfloreſcit regio illa, ad quam ſe contulerunt, ita ut patrii idiomatis libenter & ex ſententia negligant uſum, novumque quod audiunt, affectent, honorum ſpe ducti & utilitatum. Hac certe via & ratione faciliter immutatur totius integræ gentis lingua. Præjactis itaque hujuſmodi fundamentis, quibus neminem refragari confidimus, conſequitur ſane Hebræos, quidquid didicerint linguæ Chaldæorum, oblitos nequaquam fuiſſe proprii ſermonis iis temporibus, quibus in eorum regione commorati ſunt. Ea profecto captivitas ut ex Scripturis liquet annis perduravit ſeptuaginta eo nimirum tem-

po-

poris intervallo, quod propemodum unius hominis vitam dimetitur; unde in patriam remearunt nedum nepotes ac filii eorum qui captivi ducti ſunt, ſed ex iſtis etiam nonnulli, qui vernaculam linguam proculdubio callebant, a quibus propter conſuetudinem filii ac nepotes didicerint. Fateamur etiam oportet ſuarum conſuetudinum, rerumque omnium tenaces fuiſſe, & eo potiſſimum tempore quo gravi premebantur calamitate, quemadmodum teſtis eſt locuples David. Longe quoque erat ut appeterent ibi immorari, & excipere honores. Divina quoque providentia factum eſt, ut ii qui ad aliquod dignitatis faſtigium evecti ſunt, ne latum quidem unguem a ſuæ religionis obſervantia, morumque Hebraicorum deflecterent, uti conſtat de Daniele ejuſque ſociis, de Mardochæo, Eſtera aliiſque. Hæc autem omnia ad conſervationem proprii idiomatis conferre plurimum inficias ire non licet.

In hujus rei confirmationem exemplo uti poſſumus præclariſſimo, quod ipſamet Hebræorum ſuppeditat Hiſtoria. Hebræi in Ægypto commorati ſunt juxta Euſebii ſupputationem (1) ducentis & quindecim annis. Initio perpauci fuere, cum tota gens Hebræorum tunc temporis complecteretur tantum Jacobum, ſuoſque filios, & illos etiam qui pertinerent ad eorum familias, qui omnes numero habentur ferme ſeptuaginta. Attamen & ipſi eorumque poſteri, qui brevi & ſummopere aucti ſunt, linguam ipſam, quam a Patribus didicerunt, ſervarunt, eademque uſi ſunt; quem qui-

(1) In Chronic.

Digitized by Google

quidem loquendi modum in Palæſtinam etiam tranſtulerunt. Nec refert terram Geſſen datam ipſis fuiſſe, ut incolerent. Ibi enim commercium quoddam cum Ægyptiis ipſis ſervandum proculdubio fuit. Cui accedit, mortuo Joſepho, oblitiſque Ægyptiis beneficiorum, quibus eos cumulaverat; timore quodam abrepti ne nimis multiplicato Judæorum numero ab eiſdem ſubigerentur, divexare eos laboribus inceperunt, & præpoſiti ſunt magiſtri, ut affligerent oneribus; & revera Civitates Phiton & Rameſſes ædificatæ ſunt Judæorum opera. Hac de cauſa diſperſi ſunt Judæi per totam Ægyptum (1), unde neceſſe erat ut cum Ægyptiis aſſidue colloquerentur. Idipſum probat decretum illud obſtetricibus factum, quod ſuperfluum utique foret ſi uno in loco ſeorſim ab Ægyptiis ſimul conjuncti morarentur Judæi; ſicuti & alterum projiciendi in flumina pueros Hebræorum recens natos, quod vulgatum eſt per totam regionem Ægypti. Eo etiam deducit præceptum illud Judæis injunctum, in quo ſtatutum erat ut quilibet poſtularet ab amico ſuo, & mulier a vicina ſua vaſa argentea, & aurea; quod plane innuit commixtionem Hebræorum cum Ægyptiis; & Auguſtinus ipſe ex hujuſmodi facto Hebræos in terra etiam Geſ-

(1) Eleganter hæc animadvertit Sulpitius Severus in Sacra ſua Hiſtoria = Hebræi igitur, qui in Ægyptum devenerant, incredibile memoratu eſt, quam cito numero aucti ſint, multiplicataque progenie Ægyptum repleverint. Sed defuncto rege, qui eos ob meritum Joſeph benigne fovebat, ſuccedentium regum imperio deprimebantur. Nam & opus durum ædificandarum Civitatum impoſitum: & quia jam multitudo abundans metuebatur, ne quandoque libertatem armis vindicaret, parvulos recens editos aquis mergere dicto regis cogebantur, nec diſſimulari cruentum imperium licebat.

Digitized by Google

Geſſen habitaſſe una cum Ægyptiis recte colligit. (1) Maxime vero id confirmat ea Moſis ordinatio, quam paulo ante promulgavit quam plaga ingrueret decima ſuper Ægyptios. *Vocavit Moyſes*, ita legitur, *omnes Seniores filiorum Iſrael, & dixit ad eos: faſciculum hyſſopi tingite in ſanguine, & aſpergite ex eo ſuper limitare, & utrumque poſtem; nullus veſtrum egrediatur oſtium domus ſuæ uſque mane; tranſibit enim Dominus percutiens Ægyptios: cumque viderit ſanguinem in ſuperliminari, & in utroque poſte, tranſcendet oſtium domus, & non ſinet percuſſorem ingredi domos veſtras, & lædere.* Luculentiſſima hæc ſunt, ut adfirmetur Hebræos lapſu temporis commoratos undequaque fuiſſe per totam Ægypti regionem; nec deſunt multa alia ex Exodo deprompta teſtimonia quibus probetur, etiam regiam urbem incoluiſſe. Si itaque proprium non deſeruerunt idioma Iſraelitæ in Ægypto, quamtumvis vexati ab Ægyptiis diutiſſime, & laboribus continenter addicti, per quod compellebantur, ut cum ipſis diverſarentur, cur non itidem exiſtimandum in Babilonica ſervitute, ubi præter eam quam excitavit Aman, tanta perſecutio, tantus furor in omnes excitatus non eſt? Premebantur utique, ſed non jugiter neque tam dire ſicuti in Ægypto. Nabuchodonoſor licet quandoque ſævierit in Iſraelitas, honore etiam affecit, ipſum Danielem muneribus donatum Provinciis, & magiſtratibus Chaldæorum præfecit, & ejuſdem

(1) Quæſt. 39. in Exod.

Digitized by Google

dem ſocios ſuper opera Provinciæ Babilonis conſtituit. Evilmerodacus qui ei ſucceſſit in regno, Jechoniam e carcere a ſe eductum inter magnates locum habere voluit, regiiſque ſumptibus, quæ regi convenirent, ſubminiſtrari præcepit. Sed quod dubitationi locum præcludere videtur, eſt quod Neemias, Aggæus, Zaccharias; Malachias, & Daniel ipſe paucis demptis, non Chaldaico ſtylo, ſed Hebraico, quod a Deo exceperant, ſcriptis conſignarunt. Scripſerunt utique iis verbis, ac dictionibus, quæ apud Judæos innoteſcebant, ut quæ legerent, caperent etiam. Quare ſi Hebraicas loquendi formas uſurparunt illi, non eſt ambigendum, quin adhuc Hebræi eaſdem calluerint. Quid plura? Ipſemet Ezdras Hebraicum plerumque ſtylum adhibuit. Liquet igitur non Chaldæorum linguæ ita aſſueviſſe Judæos, ut proprii idiomatis penitus perdiderint intelligentiam. Ex quibus omnibus patet etiam firmari validiſſime ſententiam noſtram de charactere, ſi ſupponamus eum Chaldaico nequaquam ſimilem fuiſſe. Etenim ſi Hebræorum gens tota ſuæ linguæ oblita non eſt, ut potuerit abſque difficultate legis verba intelligere ſub Hebraico ſermone vel cum oculos in eam conjicerent, vel ab aliis recitari audirent; pari quoque ratione ſub eodem antiquo charactere poterant perlegere ii omnes, qui vacare Scripturarum lectioni conſueverant. Eum ſiquidem noverant ab infantia, uſurpare etiam potuerunt cum ad fratres invicem ſcriberent, & filiis etiam notum facere eo præſertim ducti conſilio, ut verbum Dei legerent.

Digitized by Google

CAPUT QUARTUM.

Immutatio literarum in Sacris Bibliis inconveniens erat ob diſperſionem Judæorum per totum dominium Chaldæorum.

NOnnullis, qui ſuum alicui ſententiæ calculum adjiciunt, & quam maxime ſtudent ſuadere cæteris, quandoque contingit, ſi hiſtorico indigeant fundamento ad eam magis conſtabiliendam confirmandamque; ita Hiſtoriam, quam ſibi favere exiſtimant, ſuis deſtitutam circumſtantiis, quæ tamen ſecerni ab ea neutiquam poſſunt, jejune proponere, cæteraſque quæ geſtum illud ſubſequuntur narrationes negligere, unde quod ipſi adſtruunt, veritati Hiſtoriæ convenire, & commode ab ea proficiſci videatur. Hinc ſequitur perſpectis omnibus, quæ hiſtoriam complectuntur, ſæpe aliter judicandum. Hoc ſolemne eſt iis, qui ex induſtria decipere ſatagunt, ſed interdum etiam eadem nota illis eſt inurenda, qui longe ſunt, ut alios velint hallucinatos. Non ita tamen, quia ex pravitate animi, ſed nimia propenſione adducantur in ſententiam, cui adherent. Exemplo eſſe poſſunt, qui ex conſuetudine cum Chaldæis volunt Hebræos oblitos omnino propriæ linguæ propriique characteris, quod ſi accurate illorum temporum Hiſtoriæ perpendantur, deprehenditur ſane a veritate alienum. Supra oſtenſum eſt Hebræos doctrinæ ac legis, quam a Deo

per

Digitized by Google

per Moyſem acceperant, legiſſe codicem in captivitate, & inſtructos, qui nati ſunt Babilone in ejuſdem legis præceptis ac ceremoniis, quod ut abſque errore fieret percurrendi conſulendique erant ii libri. Hoc quod ſane eruitur ex Scripturis ipſis cum iis omnibus copulatur, quæ tradunt captivitatem, unde in hac quæſtione negligendum non erat. Aliud etiam ſuppetit monumentum ex quo clare conſtat, quod etſi concedatur victorum characterem adoptaſſe Judæos, inde tamen concludendum non eum ſolum qui foret Babiloniorum, quod certe impedimento eſſe poterat ne immutarentur literæ in ſacris Bibliis. Hebræos non una & eadem regni regione ſedem conſtituiſſe, ſed in varias etiam ſeſe recepiſſe certum eſt, quemadmodum etiam non eumdem viguiſſe characterem in qualibet parte ejuſdem regni dominationis. Qua ex re clare colligitur varias linguas varioſque didiciſſe characteres pro varietate regionum quas incolebant. Verum teſtimonia proferenda ſunt ne hiſtoriæ præſidio carere videamur. Ut innoteſceret in toto regno quam ob cauſam repudiaſſet Aſſuerus uxorem cui nomen Vaſti, legitur (1) eum miſiſſe *Epiſtolas ad univerſas provincias regni, ut quæque gens audire & legere poſſet, diverſis linguis & literis*. Igitur luculentiſſime patet ex hoc textu non eamdem linguam eumdemque characterem uſurpatum fuiſſe in unaquaque illius regni regione; alioquin ſupervacaneum foret, ut Epiſtolæ variis linguis & literis tranſcriberentur, ut in cunctis locis notum fieret, quid continerent.

(1) Eſt. cap. 1. v. 22.

rent. Hebræos vero ad diverſas etiam ejuſdem regni Provincias commigraſſe teſtantur hæc verba (1). *Scriptum eſt ad omnes ſatrapas regis & Judices Provinciarum, diverſarumque gentium ut quæque gens legere poterat & audire pro varietate linguarum*, decretum nimirum, ut tertio decimo die menſis duodecimi univerſi ubique Judæi occiderentur. Quæ utique probant Judæos undequaque in Chaldæorum regione fuiſſe diſperſos. Hoc autem eo magis contigiſſe poſteaquam Babilon tranſivit in Imperium Perſarum. Hi enim reges teſte Atheneo (2) & Xenophonte (3) parte anni Suſis, alteram Ecbatanis, tertiam Babilone tranſigebant. Suſam quoque tunc temporis præcipuam imperii fuiſſe ſedem auctor eſt Plinius (4). Judæos quoque civitates Perſarum incoluiſſe dubitari nequit, & quidem Suſam magno numero indicant poſtrema verba capitis tertii Eſter. Ibi enim primo promulgatum fuit edictum, in quo morti addicebantur Judæi omnes, qua de cauſa ſupra modum contriſtati ſunt omnes qui Suſam incolebant. *Statim*, ſic legitur, *in Suſam pependit Edictum rege & Aman celebrante convivium, cunctis Judæis, qui in urbe erant flentibus*. Et revera Danielem licet Babilone primum, at poſtea Suſis commoraſſe capite ejuſdem Prophetæ octavo legimus. Præterea refert Hieronymus (5) conſtantem eſſe Hebræorum

tra-

[1] Eſt. cap. 3.
[2] Lib. 12.
[3] Lib. 8. Cyrop.
[4] Lib 6. cap. 27.
[5] In cap. 10. Zacch.

Digitized by Google

traditionem, captivum populum non ſolum ad Medos & Perſas, ſed ad Boſphorum quoque & ſeptentrionalem plagam a Chaldæis eſſe tranſmiſſum. Quod ſibi ſuadere facillimum eſt. Si enim ſimul congregati Babilone ejuſque in vicinia commoraſſent, in ſuſpicionem cadere poſſent ſeſe in libertatem vindicandi irruendique inſperato ſuper victores. Id timuerunt Ægyptii, ob eamque cauſam ne multiplicarentur, curarunt; & qui robuſtiores erant, addicebantur aſſiduo labori per varias regni Regiones. Hiſce autem poſitis facile erit adfirmare variis pro varietate regionum Hebræos inſtructos fuiſſe linguis & characteribus juxta locorum, in quibus degebant, conſuetudinem. Quare igitur adſtruendum conveniens fuiſſe, ut in Chaldaicas immutarentur Sacrarum Scripturarum literæ, primigeniis abjectis, eo quod Hebræis jam familiares evaſerint? nonne potiori jure adfirmandum idcirco pervetuſtas ſervandas diligentiſſime, ne, jam variis linguis & literis utentibus, dum provideretur pro quibuſdam, pro iis nempe qui Babilonem incolerent; cæteris vero detrimento eſſet immutatio literarum cum jam Dei verbum perlegere nequiviſſent, & illi potiſſimum qui morabantur in Perſide aliiſque locis, ubi quadrati Chaldæorum characteris non viguit uſus? Ad hæc, tum de genere levitico & ſacerdotali, ac nonnulli de plebe remanſerunt in Paleſtina poſt urbis excidium, inter quos Jeremias & alii, quos literarum commercium legitur (1) tenuiſſe cum iis qui Babilonem ſecedere coacti ſunt. Hi pauci quidem

[1] Baruch. Cap. I. v. 1. & ſeq.

dem initio fuerunt, ſed quatuordecim luſtris plurimi facti ſunt. His quoque incommoda evaſiſſet immutatio literarum in Scripturis. Cauſa itaque quæ effertur a pleriſque, quamque modo expendimus, tanti roboris non eſt, ut ſuadeat nobis novam in Scripturis literarum formam invehere debuiſſe Ezdram. Si quid valeret, probaret potius, neceſſarium fuiſſe ut ſermo totus immutaretur, quod utique numquam factum eſt, cum per omne Sabbathum uſque in præſens ſemper lectæ fuerint in ſynagogis Scripturæ genuino Hebraico ſtylo. Cumque omnibus, qui ad Scripturarum lectionem conferebant ſe, numquam in quovis tempore ignota fuerit figura literarum in Sacris libris, cauſa profecto deerat, ut immutaretur.

CAPUT QUINTUM.

Ex odio Judæorum contra Samaritanos infirmum depromitur argumentum immutationis literarum in Sacris Bibliis; ex cura vero ſervandi omnia etiam leviſſima, quæ a Patribus acceperunt, arguitur recte eaſdem literas ſemper retinuiſſe.

OStendimus in ſuperiori capite Babilonicam captivitatem nihil cauſæ addidiſſe cur Ezdras antiquas repudiaret literas ſacrorum codicum; videamus modo num ex perenni, quo ferebantur odio Judæi adverſus Samaritanos, quidpiam

piam

piam eruatur, quo ſententiam noſtram labefactari videatur. Hoc argumento delectantur quam maxime adverſarii, inter quos eminet Ludovicus Capellus (1) quem ſequitur Valthonus (2), & Arias Montanus (3). Sed ut clare innoteſcat, quid illi afferant, Capelli verba proferenda ſunt. *Huc accedit*, inquit ille, *quod Samaritani, quibuscum Judæi odium capitale ſemper exercuerunt, Hebraicis literis jam utebantur: quas illis cum eripere non poſſent Judæi e captivitate reverſi, eas illis relinquere maluerunt: Chaldaicis (quibus in captivitate aſſueverant) in earum locum aſſumptis, ne quidem hac in parte quidquam haberent cum illis commune*. Hebræos revera odio proſecutos fuiſſe Samariticam gentem, caviſſeque ſe ab illorum conſuetudine abunde ex Scripturis colligitur, ita ut ſi quis ex Hebræis quempiam appellaſſet Samaritanum, id inter convicia connumerabatur, unde Hebræi conviciati ſunt Chriſto dum vocarunt eum Samaritanum. Verum livore quodam ductos eſſe, propterea quod Samaritæ legem Moſis ſub eodem, quo ipſi Scripturas legerent, charactere, nullibi reperitur Hiſtoriarum, niſi forte apud quempiam Rabbinorum quorum auctoritas in hac queſtione ſuo loco expendetur. E contra conjici merito poteſt, ob eam cauſam necquidquam adverſatos Samaritis Hebræos, cum conqueſti numquam ſint quod poſſederint ipſum Scripturarum codicem. Summo odio in eos exarſiſſe indubium eſt, ſed non alia profecto de cauſa,

[1] In arc. punct. revel.
[2] Proleg. 3. ad Bibl. Poligl.
[3] Appar. Bibl. tract. de ſiclo.

Digitized by Google

ſa, quia impedierint ſecundi templi ædificationem, ex ſtirpe non eſſent judaica, quamplura ex dogmatis rejecerint, obſervantiis Judaicis adjecerint Idolorum cultum, & tanti fecerint Montem Garizim, ita ut templum in eo erectum præponerent Samaritano. Nulla vero contentio excitata, nulla invidia exorta propter ſimilitudinem characteris in quo ſcripta erat lex Moſis. Sed ex Capelli verbis validiores ſeſe offerunt ad rem noſtram animadverſiones.

Juxta Capellum idcirco Hebræos reliquiſſe creditur in Scripturis Samariticas literas Samaritis, eo quod eaſdem ab ipſis eripere nequiverint. Verum ſi ita ſentiunt adverſarii, conſequitur ſane ſuum Scripturarum characterem in pretio habuiſſe Hebræos, ut auferri cuperent a Samaritis. Si autem impoſſibile erat ut, jam adhibentibus Samaritanis eumdem communemque cum Hebræis characterem in Scripturis, ab ipſis tolleretur; qua inde ratione argui poteſt, ut Hebræi ipſi illum ipſum abjecerint, interea dum ereptum voluere a Samaritanis? Certe id percipi nequit, quandoquidem imprudentis hominis eſſet ne dicam fatui pretioſum quod habet, & æſtimat valde, illud tamen projicere a ſe ob eam cauſam, quia ab altero auferre non potuit ſimile quodpiam. Recta itaque non procedunt in ſua argumentatione Capellus ejuſque Aſſeclæ, cum a principio quod præclare jactum putant, abſque ullo nexu colligant quod in ipſo neutiquam continetur. Eadem ratione urget Capellum Matthias Vaſmuthus (1) additque nihil lucratos fore Judæos

[1] Vindic. 1. Hebr. Script.

dæos ea permutatione, ſed ſibimetipſis potius, quam Samaritanis ægre facturos. Obſervat etiam idem auctor poſt reditum e Babilone zelatos eſſe primores Judæorum ne aliena lingua uſurparetur inter ſuos. Neemias enim objurgavit eos, & maledixit, qui nolebant loqui Judaice, ſed linguam uſurpabant alienigenarum, quod ſi ignoranter feciſſent, dignos non reputaret objurgatione (1). Ex quo facto, concludit ipſe, non permiſſurum etiam totam Scripturam impoſterum exteris literarum figuris, abjectis primigeniis, quarum auctor in illis agnoſcebatur Moyſes cæterique ſacri Scriptores, fore exaratam. Sed inquiramus modo, ſi ex exiſtimatione & honore, quo ſuos characteres proſequebantur Judæi, quemque non denegant adverſarii, non ſpernendum ad rem noſtram inſtitui poſſit argumentum.

Suarum rerum cuſtodes fideliſſimos fuiſſe ſemper Judæos, neque umquam veluti minimum, & comptemptibile reputaſſe, quod tantiſper pertineret ad ſacra, certiſſimum eſt. Calmetus licet contrariæ, ab ea quam propugnamus, adhereat ſententiæ, idipſum concedi ab eruditis omnibus fatetur (2) & ſuper hujuſmodi ſuaſionem grave quoddam inædificari argumentum. Et re quidem vera, quemadmodum obſervat Ben. Carpzovius, (3) literæ quibus primo ſcripti ſunt ſacri codices, dicendæ proculdubio eæ ſunt, quibus uſus eſt Deus in conſcribendo decalogo, quaſque eodem

E dem

(1) Lib. 2. Ezdræ cap. 13. & ſeq.
(2) Differt. de vet. lit. traſmut. Script.
(3) In not. ad Schiſcard. de jur. reg. Hebræor.

Digitized by Google

dem inſpirante Moyſes ac reliqui Prophetæ ſcriptoreſque ſacri uſurparunt. Hinc promereri apud Judæos, ut religione ſumma conſervarentur facile intelligitur, ſicuti etiam ut veluti ſacras haberent, cum certo ſcirent digitum Dei, [ſic enim vocat Scriptura ſupernam illam virtutem cujus miniſterio tabulæ legis conſcriptæ ſunt] non alias, quam eaſdem illas adhibuiſſe.

Præterea immutando literas derogabatur utique totius ſacri codicis vetuſtati, quod verti poterat in Judaicæ religionis detrimentum. Lapſu ſiquidem temporis tum Hebræorum pervicaces, qui numquam defuerunt, tum etiam Hebræi nominis hoſtes & Scripturarum, opus illud non eſſe Moſis cæterorumque Scriptorum, quorum nomine circumferebatur, adfirmare poterant, propterea quod non eo charactere ſcripti comparerent ii libri, qui uſitatus eſſet ac familiaris Moſi, & antiquis Scriptoribus. Nec refert Hebræorum imperitum vulgus hujuſmodi conſecutiones reſpicere non potuiſſe, cum ſatis fuerit animadverti a Neemia ac ſenioribus illis penes quos concredita erat ſacrarum rerum cuſtodia, & præcipue ab Ezdra, quem, uti a Scripturis accepimus, notiſſimum eſt, & religionis zelo, & ſumma doctrinæ laude, & prudentia fuiſſe præditum.

Quamobrem non recte nobis nonnulli ex adverſariis adfirmare videntur, dum ſtatuunt argumentum depromptum ex vigili ac perpetua cura ſuarum rerum ſupponere id quod præjudicium ſapit, & animi imbecillitatem. Sufficit ſane ut inter præjudicia non collocarint ii de quibus ſermo inſtituitur.

tur. Verum inter præjudicatarum opinionum genera recenſeri nequit ſedula ac diligens cuſtodia conſervandi librum verbi Dei ſub eodem charactere, quo primum conſcriptus eſt tum ob reverentiam erga Deum ipſum, qui eodem uti voluit; tum etiam ne illi vetuſtatis decus adimeretur. Nonne etiam apud nos, opera illa quæ reipublicæ eruditorum maximo ſunt emolumento, ſub eadem & lingua & characterum forma ſub qua edita primo ſunt, in majori pretio habentur? Si ſcripturarum libri ſolummodo haberentur ſub græcis literis qualis nobis tradidit Origenes (1), profecto condolendum foret, ſi nullum ſub genuino & originario charactere ſupereſſet exemplar. Præterea Calmetus ipſe [2] fateri oportere concedit Judæos literas legis ſumma adeo religione ſemper coluiſſe, ut ſi quis hodie aliquid de earumdem figuris immutandum ſuſciperet, in graviſſimum crederent incidiſſe piaculum. At ſi ſemper quemadmodum etiam ipſe non diffitetur, ſacrorum librorum literas aliqua veneratione proſecuti ſunt Judæi, cur hodie tantum non auderent eas immutare, non vero quavis ætate? Eadem profecto ſemper extitit cauſa ne ulla fieret permutatio.

Demum qua fronte præjudicium vocitent adverſarii hanc Hebræorum ſollicitudinem prorſus non videmus. Etenim dum Hebræos vetuſtiorum temporum ea, quam dicunt præjudicatam opinionem, præoccupatos nolunt, alio detentos & quidem majori præjudicio eos nobis obtrudunt. Nonne ſa-

(1) In exapl.
(2) loc. cit.

Digitized by Google

ſapit præjudicium ne dicam quoddam ſuperſtitionis genus nolle Hebræos communem in Scripturis habere eumdemque characterem cum Samaritis? Satis profecto erat Ezdræ, ut horum obſervantias, quæ a lege interdicerentur, ſui repudiarent, ſicuti etiam ne eorum exemplo inquinarentur, omne commercium abrumperent; ſed interea cum probe ſciret nullum in religionis negotio oriturum diſcrimen ex literarum ſimilitudine in ſacris codicibus, nulla conveniens aderat, & juſta cauſa, cur & uſu literarum Hebræos a Samaritis diſtinctos voluerit. Ezdram itaque ſanctiſſimum virum adverſarii faciunt ſuperſtitioſum, dum a ſuperſtitione volunt immunem. Quare adfirmandum proculdubio eſt rationem illam, quam Capellus & Valtonus tanti æſtimant nullam vim præſeferre, ſed e contra curaſſe Ezdram iiſdem omnino literis conſignari adhuc Scripturas, quibus primo viſæ in ſacris illis codicibus, & quia Deus eaſdem ſelegerit in exprimendis eloquiis ſuis, atque ſemper perſiſteret eorumdem antiquitatis illuſtre monumentum per quod argueretur etiam a Moyſe fuiſſe conſcriptas.

CA-

Digitized by Google

CAPUT SEXTUM.

Ex peculiari quarumdam literarum formatione & figura eruitur eaſdem permanſiſſe literas in Sacris Bibliis.

IN quorumcumque Scriptorum operibus, ſi multiplicari augerique dies contingat eorumdem exemplaria, tum ex Amanuenſium imperitia vel oſcitantia, tum etiam ex lacunis quas diuturnitate temporis contrahunt frequenter, aliquod irrepere mendum inficiari nequit. Et quamquam divinarum Scripturarum codex, qui proculdubio cæteros omnes non ſolum doctrina, ſed & vetuſtate antecedit, ad nos uſque pervenerit propter ſedulam ac conſtantem Hebræorum in eo conſervando vigilantiam, conſcribendoque diligentiſſimam curam; nihilominus in tanta ac tam multiplici manuſcriptorum copia, ac deinde editionum quæ etiam ſummopere excreverunt, aliquo nævo impoſſibile eſt ut non ſcateant nonnulli codices circa literas, ut totum divinæ providentiæ tribuatur, ſi in iis quæ ſummam continent religionis, ſarctum tectum ſupererit opus illud, & ubilibet invariatum. Et certe non decuit ſolum, ſed neceſſarium omnino fuit, ut libri illius ad omnium hominum utilitatem ac ſalutem a Deo ſacrorum ſcriptorum miniſterio expreſſi, nihil umquam, quod maxime intereſſet, excideret atque interiret. Quamobrem ſi quarumdam formationes literarum deprehendan·

dantur in nonnullis codicibus a communi forma diſſimiles, ſi in alias ſibi analogas & valde ſimiles immutatæ literæ, & quandoque etiam reperiantur voces, quibus additio facta ſit unius vel plurium literarum, quæ eiſdem vocibus alibi deſiderantur; certe improbandi ſunt, qui ejuſmodi varietatem errori potiſſimum tribuant ſcribentium. Hinc apud nonnullos doctiſſimos viros Maſoreticæ illæ obſervationes quæ vulgo appellantur *cheri* & *chetiv* ſtatutum eſt non eſſe niſi collectiones variarum lectionum, quarum diſſenſus ex allatis cauſis emergat, proindeque nihil præſeferre myſterii, ſed nugas eſſe atque quiſquilias omnia quæ comminiſcuntur Hebræorum magiſtri de literis plenis ac deficientibus, majuſculis vel minuſculis erectis vel inverſis. Nos tamen in reprehenſionem nequaquam incidere arbitramur eruditorum, ſi ex varia unius vel alterius literæ poſitione in Sacris Bibliis argumentum ad rem noſtram mutuabimur; cum non ii tantum, qui nobiſcum ſentiunt ſed ex adverſariis etiam quamplures, ac Hebræi potiſſimum ex Phyſica alicujus termini ſtructura peculiarem ſenſum ſibi blandiantur elicere. Quare ex eorum principio argumentari licebit. Aſſerunt ipſi D. Bernardi auctoritatem, ubi pronunciat in Scriptura ne modica quidem vacat particula, immo nimis viliter hoc eſſet de ea ſentire [1]. Quod apertius dixerat Hieronymus, qui ait ſingulos ſermones, ſyllabas, apices & puncta in divinis Scripturis eſſe plena ſenſibus [2]. Morem etiam affigendi phyſicæ Signorum conformationi peculiarem ſen-

(1) Comment. in Epiſt. ad Epheſ.
(2) Serm. 72. in Cantic.

ſenſum viguiſſe apud veteres animadvertunt. Miſticam illam ac pervetuſtam Ægyptiorum Philoſophiam plerumque in quorumdam varia configuratione ſignorum fuiſſe poſitam notiſſimum eſt [1], quæ conſuetudo pervagata eſt per omnes orientis plagas. Ita enim proviſum eſt, ut quæ myſteria rudi populo occultanda eſſent, & ſapientibus ſeorſim communicanda, oportebat quidem ut quibuſdam ſignis committerentur ne eorumdem memoria interiret, ſed ne in aures vulgi tranſmitterentur cautum fuit, ut dum ſigna ipſa per ſe exhiberent quod erat ſignificandum, tamen non ita facili ratione illorum ſignificatio attingi poterat, ſed tantum ab illis, quibus notitia illa reſervata fuit. Inſuper plura etiam quæ neceſſarium foret ut vulgo ipſi innoteſcerent, tradita ſunt per Scripturam ſymbolicam ſeu per ſignum quod quidpiam exprimeret etiam per materialem ſui conformationem. Hujus inſtituti ſpecimen etiam apud nos in ritibus & cæremoniis ſacris animadvertere eſt, cum non actionum dignitatem quamdam, gravitatemque cauſent ſolum, verum & myſteriis abundent, earumque exercitio quidpiam peculiariter exprimatur, quemadmodum rerum liturgicarum tradunt eruditi Scriptores [2]. Aliquid ſimile innui in Sacris Bibliis ſibi ſuadent, cum plura nomina inveniantur, quæ non ſolum impoſita ſunt hominibus quibuſdam, ut ab aliis diſtinguerentur, ſed etiam ad exprimendum vel cauſam cur a Deo Parentibus conceſſi ſint, vel officia, vel virtutes eorum,

(1) Vid Athan. Chircher. Oedip. Ægypt. & le Pluche Hiſt. Coeli.
(2) Vide Card. Bona rer. liturg. Tom. 1. & Le Brun de Sacrif. Miſſæ.

Digitized by Google

rum, vel etiam eventus, qui comitarentur eorumdem nativitatem, vel ſubſequerentur. Primam Alphabeti literam nomini Abraæ duplicari in medio voluit Deus, ita ut deinceps non Abram ſicut antea, ſed Abraam diceretur (1). In ea ſiquidem litterulæ additione promiſſio expreſſa eſt ingentis ab Abraam poſteritatis. Hinc in forma etiam ipſa literarum peculiarem quandoque ſignificationem putant deprehendi. Quamplura hujus rei ſuppetunt exempla, ſed præclariſſimum apud ipſos eſt, quod notatur in capite nono Iſaiæ verſu ſexto in voce illa *lemarbè* quam Vulgata vertit *multiplicabitur*. Ibi enim litera *mem* undique clauditur hoc modo ם. hoc autem nullibi reperitur in medio dictionis niſi in hac voce & ſolum eo loci præter morem. Myſterium vero ſub ea varietate latere fere Hebræi omnes & multi ex Chriſtianis exiſtimant. Hebræorum ſententia eſt juxta Grotium (2) ſtabilitatem regni Meſſiæ indicari, ſicuti per *mem* apertum in fine dictionis ruptura ſeu ruina ſignificatur (3). Quid vero deprehenderint Chriſtiani videre eſt apud interpretes (4). [*]

Cæ-

(1) Geneſ. cap. 17. 5.
(2) Comment. hic.
(3) Ezdræ 2. 14.
(4) Vid. Lir. Corn. a Lap. & Matthæum Polum.
[*] Si in Sacrorum Bibliorum cunctis codicibus perpetuo & conſtanter hæc litera *mem* clauſa appareret ratio illinc deducta maximi roboris eſſet. Nonnulli ſiquidem opinantur id alicujus ſcribæ lapſu contigiſſe, quem deinde alii ſuperſtitioſe ſecuti ſint. Plures tamen conſentiunt errorem hunc expuncturos Hebræos ob diligentiſſimam curam ſervandi etiam minimos apices Scripturarum. Buxtorfius vero obſervat in ſecunda ex ſuis vindiciis conſtare etiam in Talmude olim ita ſcriptum eſſe. Quidquid tamen dicatur nobis non cadit argumentum. Loquimur enim in eorum ſententia, qui

Digitized by Google

Cæterum Hebræorum veteres quædam in literis ipſis exiſtimaſſe contineri interdum Myſteria diſerte traditur in libro Zoar (1), ubi ſtulti & occluſi corde appellantur qui dicunt multa eſſe vilia in Scripturis, quorum exiguus ſit uſus. Hanc quoque illorum opinionem memorat Epiphanius in libro de ponderibus & menſuris. In Codice vero Meghillà, & Sciabbath nonnullarum varietas literarum a Moyſe ipſo repetitur aliiſque Scriptoribus. Neque dicas, ſi tantæ rei tam præclarum in ea litera monumentum agnoſcere debeamus, ſatis eſſe, ut illud tradiderit Ezdras eamdem undequaque occludendo, & hanc etiam utilitatem profluxiſſe ex immutatione characteris, quam dare nequiverat Samaritanus. Aſt tibi quoque dicendum foret eadem utilitate ante Ezdram caruiſſe Hebræos, & ea ſolum ætate nonnullas incepiſſe voces non vacare myſteriis, Deumque ipſum uſque ad Ezdram Sacris Scriptoribus non inſpiraſſe hujuſmodi ſcribendi rationem. Cum itaque meliorem tueantur partem, qui adfirmant, ſemper eadem, ſi quæ in ipſis deprehendere liceat, Scripturarum literas exhibuiſſe Myſteria, nos inde argumentum merito petimus, ex quo magis roboretur opinio Ezdram veteres literas a Sacris Bibliis neutiquam expunxiſſe.

quamvis velint immutatas ab Ezdra literas Scripturarum, ſentiunt tamen in ipſa literarum forma latere Myſteria inter quos nonnulli nedum Hebræi, ſed Chriſtiani etiam interpretes recenſentur.

(1) Ad Prov. 9. 12.

CAPUT SEPTIMUM.

Ex capite nono Ezechielis verſu quarto non recte concluditur literarum immutatio. Illarum antiquitatem innuit verſus decimus octavus capitis quinti Matthæi.

PRovocant nos adverſarii ad caput nonum Prophetiæ Ezechielis verſu quarto & ſequentibus, ex quo inviſtiſſimum ad ſuæ cauſæ patrocinium putant ſe depromere argumentum. Hæc ſunt quæ eo loci leguntur. *Et dixit tranſi per mediam civitatem in medio Jeruſalem, & ſigna Tau ſuper frontes virorum gementium, & dolentium ſuper cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio ejus.* Deinde verſu ſexto *Senem, adoleſcentulum, & virginem, parvulum, & mulieres interficite uſque ad internecionem: omnem autem ſuper quem videritis Tau ne occidatis.* Idcirco autem, inquiunt ipſi, qui a communi clade liberandi eſſent, litera Tau ſignandi eſſent in fronte eo quod hujuſce literæ figura in priſco Hebræorum charactere imaginem crucis repræſentaret. Quemadmodum itaque per Chriſti crucem ab imperio mortis tolluntur fideles, ita per illud Tau crucem exhibens ab excidio, quod per Prophetam decrevit Deus, ſervabantur ii, quibus in fronte inſculptum foret; unde in ea litera ſolemne continebatur Vaticinium pretii Crucis Chri-

Chriſti. Infirmari autem nequaquam poſſe exiſtimant hoc argumentum, cum ſe tueantur Hieronymi auctoritate qui ait (1) antiquis Hebræorum literis, quibus uſque hodie utuntur Samaritani, extrema Tau litera crucis habet ſimilitudinem, quæ in Chriſtianorum frontibus pingitur, & frequenti manus inſcriptione ſignatur.

Antequam argumenti hujus vim propius expendamus, obſervandum primo eſt, dum illud perſtringunt adverſarii injurios profecto ſe faciunt Ezdræ reliquiſque Hebraicæ reipublicæ ſenioribus, eo quod tantum ac tam illuſtre Chriſti Crucis vaticinium in ipſa ſtructura literæ Tau expreſſum e Sacris Bibliis ſanctos illos viros abſtuliſſe decernant. Etenim ſi detur nobis, quod libenter quidem concedendum eſt, illos, qui rebus Sacris apud Hebræos præerant vel dignitate quadam vel ſuperna ac cœleſti illuſtratione, quæ obſcura eſſent in Scripturis, & ſub quodam velamine obumbrata, intellexiſſe, quod maxime neceſſarium erat ut eorum mens conſtans eſſet in religione tuenda, & cæteris traderent enucleatam; ea Ezdræ potiſſimum, quem ſuperno lumine colluſtratum ex Scripturis ipſis accepimus, innotuiſſe exiſtimandum: unde ſi tam præclaram ſignificationem literam Tau eo loci poſitam ſua forma complecti videret, nefas profecto duceret eamdem proſcribere. Dei etiam Providentiæ erat, ut quæ olim præſtantiſſimum ſenſum voluit ut indigitarent, & ab eodem Prophetis ad fidei incrementum confirmationemque inſpirata, non ſineret ut poſtea tol-

(1) Comment. in Ezech. cap. 9.

Digitized by Google

lerentur. Non licet itaque neutrum affirmare videlicet Ezdram temere ac licenter a Sacris voluminibus repudiare voluiſſe tam ſingularem ſignificationem, vel ad id operis fuiſſe a Deo motum, cum illam ipſam Deus per manum, quam regebat Sancti Prophetæ, patefieri voluerit. Seipſos itaque jugulant adverſarii, dum alios contundere conantur. Nec tamen exiſtimet quis dum ita adverſarios refellimus, eadem ratione reprehendi velimus Hieronymum. De mente enim Sancti doctoris in hac cauſa fuſius diſputabimus alio loco ſicuti & Origenis, aliorumque Patrum modeſte quidem & ſumma, quæ decet, reverentia. Hic ſatis erit animadvertere neque Hieronymum neque ullum ex veteribus data opera ſe ad hanc quæſtionem pertractandam applicuiſſe, ſed aliorum placita retuliſſe & quidem obiter. Hebræos vero quod ſpectat ad hoc ſignum non unius ejuſdemque ſententiæ fuiſſe certum eſt, ſed quoſdam uni, alios alteri opinioni adhæſiſſe. Hæc autem opinionum diſcrepantia non ſolum Hieronymi ætate, ſed etiam invaluit ante tempora Origenis (1), unde minime mirum ſi Patres non adhibita ſpeciali ac ſeria animadverſione, prout nacti ſunt Magiſtros Hebræos, ſcripſerunt. Et revera fatetur Origenes ſe ab Hebræo quodam nuper ad fidem converſo id didiciſſe (2) & ideo ſub tanti viri, qualis fuit Origenes, teſtimonio, pervulgata eſt uſque ad Hieronymum ac deinceps hujuſmodi opinio, ſed uti polliciti ſumus uberius hæc di-

cen-

(1) Calmet Comment. hic.
(2) Apud Montfauc. Palæog. græc. cap. 2.

cenda ſunt alio loco. Nunc Hebræorum traditiones expendamus.

Auctor eſt Hieronymus ipſe (1) eorumdem eſſe ſententiam, idcirco nonnullos ſignandos litera Tau; quia prima eſt in vocis compoſitione, quæ dicitur Torà, id eſt lex, ad oſtendendum nimirum morti non eſſe adjudicandos, qui in legis obſervantia perſiſterent. Interpretationem hanc contemnendam non eſſe recte judicamus, cum ex textu ipſo appareat decretum illud morti ſubjeciſſe eos omnes qui a legis obſervantia deſciverant, illos vero ab eadem ſubduxiſſe, qui legi obtemperaſſent. Hieronymus vero qui eam refert non improbat.

Sed inquiramus modo quid opinari conveniat circa figuram Crucis in Tau Alphabeti Samaritani. Plures ex eruditis in eo repræſentando adlaborarunt quidem, ſed nulli contigit, crucem videre in Tau. Non vidit Crimeſius (2), non vidit Chircherus (3), non vidit Angelus Rocca (4), ſicuti neque Scaliger (5), neque Vaſerus (6), neque Bellarminus (7), neque etiam Joannes Morinus (8). Nullam in iſtorum characterum ſerie literam Tau figuram retinere crucis faſſus eſt quoque Valtonus ipſe (9), ſed ut ſibi conſule-

(1) Super Cap. IX. Ezech.
(2) Diſcurſ. de Conf. Lingu.
(3) In Prodrom. Copſ. poſtr. cap.
(4) In deſcript. Biblior Vatic.
(5) In ind. Voc. Orient. ſubnexo libr. de emend. Temp.
(6) De numiſm. Hebræ. lib. 2. cap. 3.
(7) In Calce gramm Hebræ.
(8) In exercit. ſup. Penth. Samar.
(9) Proleg. 3. ad Poligl.

Digitized by Google

leret, & vim ſervaret ſui argumenti aſſerere compulſus eſt, literam Tau olim quidem in Samaritana Scriptura formam habuiſſe Crucis, ſed hodie aliquantulum ab ea deflexiſſe. Sed hæc perbelle excogitantur, & divinando dicuntur, unde adſtruantur oportet: Vidiſſe tamen Montfauconium crucem in Tau Samaritico teſtatur Calmetus, ſed immerito cum Montfauconius ipſe adfirmet (1) ſe id accepiſſe a Rabbi quodam Azaria qui cæteris omnibus quos paulo ante recenſuimus eruditiſſimis viris felicior fuit reperiendo crucem in Tau Samaritanorum. Nos non latet Villalpandum (2) jactare ſe figuram illam tandem inveniſſe, non tamen Crucis Chriſti Domini, ſed Apoſtoli Andreæ & ſimilem eſſe *chi* græcorum. Inventum quidem præclarum, ſed non appoſite ad rem, & eo vel magis ſi adhæreamus Juſto Lipſio, qui opus edidit de Cruce, in quo non immerito ambigit (3) ſuper figuram Crucis Andreæ, quæ licet decuſſata communiter depingatur, tamen teſtimonio Hippoliti (4) judicat fuiſſe crucifixum ad lignum Olivæ rectum. Præterea memoratus Lipſius diſſidet ab illorum ſententia, qui putant Crucem Chriſti ſimilem fuiſſe Tau, ideſt T. Sic enim non quadrilateram, quam figuram ab antiquis omnibus accepimus, ſed trilateram habuiſſet formam. Si vero adverſarii reponant non expetendam perfectam ſimilitudinem, ſed ab eo deſumendam ad quod res ſignificata maxime accedat, eadem

dem

(1) Palæogr. græc. cap. 2.
(2) Appar. urb. Jeroſ. ib. lib. 2. diſput. 4. cap. 27.
(3) Lib. I. de cruc. cap. 7.
(4) L. c.

dem profecto & nos uti poſſumus reſponſione. Etenim ſi protenſo aliquantulum uno latere Tau Samaritici fit Crux quadrilatera, eadem ratione dici poteſt Chaldaicum Tau protracta linea tranſverſa Crucis forma ſtatim exurgit, unde minime confugiendum ad Tau Samariticum ut habeatur ſimilitudo Crucis, ſed ſatis oſtenditur per Tau Chaldaicum. Cæterum exponit etiam ipſe Lipſius patibuli formam apud Orientales uſitati, quæ Tau Chaldaico perfecte reſpondet.

Hæc prolata a nobis ſunt ne ſilentio difficultatem quam maximi roboris judicant adverſarii videremur eludere. Alio tamen modo ac diverſa ratione incedi poteſt ut ei occurratur. Legitur quippe in Vulgato interprete *ſigna Tau*. Aſt quid colligendum ad hanc quæſtionem ſi conſtituatur horum verborum ſenſum eumdem omnino eſſe ac ſi diceretur ſigna ſigno, ideſt ſignandas eſſe frontes innocentum aliquo ſigno, ita ut illud Tau non ſit reapſe elementum ſeu litera, ſed vocabulum? Si res ita ſe habeat, adfirmare etiam oportet nihil ex teſtimonio illo Ezechielis erui poſſe ad hujuſce quæſtionis enodationem. Quod ut probetur obſervandum eſt non legi in Vulgata ſigna eos ſigno Tau, ſed dumtaxat *ſigna Tau* non transferendo in latinam linguam vocem Tau. Apud Hebræos vero Tau eſt peculiare vocabulum, quod ſignificat ſignum, quemadmodum Lexicographi omnes nos docent, ad cujus rei exemplum adferunt illud Jobi תוי ſignum meum (1). Quare ſi Vulgatus terminum

(1) Cap. 31. 35.

num illum expoſuiſſet latine, vocaſſet ſignum ac dixiſſet *ſigna ſigno*. Id perſpicue colligitur ex Hebræo textu ubi non ponitur litera Tau ſolitarie hoc modo ת, quod tunc non parum negotii faceſſeret, ſed integra vox Tau, quæ ut diximus ſignum exprimit. Hanc vero genuinam illius Tau intelligentiam confirmant clare aliæ verſiones, quæ non prout jacet in Hebræo tranſcribunt illud Tau, ſed ejuſdem in linguam, in quas tranſferunt Scripturas, apponunt ſignificationem. Aquila Symmacus & Thæodotion vertunt vocem Tau pro ſigno vel nota, ſicuti etiam interpres Siriacus. Septuaginta vero legunt *da ſignum*, & verſu ſexto ubi vulgatus ait ſuper quem videritis Tau, ibi legitur ſuper quos eſt ſignum. Hiſce autem poſitis conſequitur ſane, quod licet accipi poſſe typice eas Ezechielis verba, & accommodari etiam Chriſti cruci adfirmetur; attamen ex ſigno illo generatim indicato, non tamen ex materiali literæ Tau formatione, quæ ibi uti vidimus, ſolitaria non ponitur, ſed ſolummodo integrum vocabulum Tau, cui latine reſpondet ſignum. Animadvertendum eſt etiam Prophetam, quæ narrat, in viſione quadam agnoviſſe, in qua ipſi revelatum eſt homines juſtos ac legi obedientes non impiorum pœna afligendos; quos propterea Deus ab impiis diſtinxit ſecrevitque tanquam ſi reali ac viſibili ſigno fuiſſent notati. Quare illi ſermo eſt de ſigno generatim ſumpto, per quod indicabatur juſtos ob morum integritatem a cæteris diſcrepantes, ita quoque in afflictationibus ſejungendos. Hoc

no-

notat etiam Calmetus unde optime ait (1) ſi literalem explicationem quæras, Græcorum cæterorumque interpretum verſio tenenda eſt *pone ſignum ſuper frontes gementium*.

Deſtructo itaque, uti exiſtimamus, adverſariorum fundamento ſupra vocem illam Tau, corruat etiam ædificium, quod ſuperinſtruunt neceſſe eſt, adfirmandumque, cauſæ, de qua inſtituitur diſputatio, præfatum Ezechielis teſtimonium nihil prodeſſe. Supereſt modo ut quæratur, an aliud ex Scripturis pariter petitum ad rem noſtram ſatis firmum ſuppetat argumentum. Iſtud procul dubio reperiri contendimus in Evangelio Matthæi. Chriſtus Dominus capite quinto verſu decimo octavo, ut comprobaret, Dei præcepta quæ mores potiſſimum pertinent, quæque in Moſis Scriptis continentur, vim ſuam in perpetuum habitura, & ad eorumdem obſervantiam quavis mundi ætate teneri homines uſque ad interitum mundi; quemadmodum etiam vaticinia omnia, & figuræ, quæ illius adventum prædixerant, ejuſque geſta exhibuerant, quæque ipſum conſequerentur, adamuſſim complenda, hiſce verbis locutus eſt: *Donec tranſeat Cœlum & terra Jota unum aut unus apex non præteribit a lege donec omnia fiant*. Qua loquendi forma aſſeruit procul dubio non ſolum præcipua quæ enunciantur in Scripturis, ſane eventura, ſed minima etiam; & hoc adſtruit capta ſimilitudine ab Jod, quæ in Hebraicis literis minuſcula eſt inter omnes; quæque, juxta quod tradit ipſe, ſemper extitit, & numquam ſublata a libris Scripturarum. Diximus

G Jod,

(1) Comment. hic.

Digitized by Google

Jod, licet Vulgata habeat Jota juxta Græcum exemplar, cum Chriſtum non aliam linguam niſi Hebraico-Chaldaicam uſurpaſſe inconfeſſo ſit apud omnes. (1) Si itaque Jod ſemper extitit in Codice Scripturarum ſub figura quæ cæteris literis minor eſſet, fuit certe Jod Chaldaicum, non Samariticum, in cujus Alphabeto ductus Jod cæteras literas exæquat, & formatur ex lineola orizontali a qua pendent tres aliæ lineolæ ad modum tranſtri. Si vero ita ſentiendum de litera Jod, idem profecto aſſerendum de cæteris. Contumelioſe excipit hoc argumentum ſuo more Valtonus & qui ei adſtipulantur; ſeque tueri putant, dum reponunt Chriſtum traxiſſe ſimilitudinem ex iis literis, quibus tunc temporis conſcripti erant Sacri Codices, quæ proculdubio erant Chaldaicæ, non autem ex jam repudiatis Samaritanorum. Attamen neque imbecillum neque nugatorium reputarunt Joannes Buxtorfius, Vaſmuthus, Carpzovius, Muiſius (2), Ba-

(1) Chriſtum Hebræo-Chaldaice locutum fuiſſe perpetua eſt præcipuorum eruditorum opinio. Noſtra hac ætate græcum in loquela facit Chriſtum Juriſconſultus Deodatus. Ejus ſententiam luculenter ac ſolide refutavit Clar. Bernardus De-Roſſius in diſſert. de lingua Chriſti. Notandum tamen veritatem hanc minime opponi iis quæ propugnavimus capite tertio. Ibi enim ſolummodo conſtituimus Hebræos Babilone nequaquam oblitos proprii idiomatis, & intelligentiam non amiſiſſe ejuſdem vocum, unde Scripturarum ſenſum literalem, dum eas legerent, perciperent; in lectione vero quam quidem in captivitate perſecuti ſunt, memoriam ipſis non excidiſſe literarum. Chaldaica lingua Hebraicæ affinis eſt, & pars maxima vocabulorum idem ſignificant, & differunt ſolum in nonnullis vocalibus, & quandoque conſonæ in analogas ſuas permutant & in fine dictionis litterulas addunt. Hinc eſt quod facilius purum ſuum idioma ſervare poterant, licet etiam uſurparint lapſu temporis Chaldæum eidem ſimile. Quippe obſervavimus paulo poſt reſtitutionem in patriam lectas publice fuiſſe Scripturas, & perceptum abſque difficultate & characterem & linguam.

(2) In aſſertion. Verit. Hebraic.

Digitized by Google

Baronius, Bartoloccius & alii permulti. Et ſane admiſſa ſemel ea reſponſione, non ibidem fuiſſet apta neque ullius roboris allata Chriſti adfirmatio. Ex eo enim quod numquam præteriit neque præteritura ulla umquam litterula, ita conſtanter ſtatuit eventura quæ ipſe innuebat. Numquam vero præteriſſe Jod neque præteriturum ex ſententia Chriſti, idem eſt ac numquam fuiſſe immutatum, ſed ſemper in Sacris Codicibus perſeveraſſe, ut valeat ſimilitudo, ex qua arguit non immutanda decreta. Loquebatur etiam adverſus illos qui exiſtimaverant eum veniſſe ad infringendam Moſis legem, propterea quod illius placita ac documenta refragari ipſis viderentur Moſaicæ legi; cum ipſe vindictam deteſtaretur, & divortium, quæ legi conformia, cum dicatur dentem pro dente, fœneraberis alieno, dabis libellum repudii, iis videbantur qui ſenſum hujuſmodi textuum ac ſpiritum non attingerent, quales erant Chriſti tempore Phariſæi ignorantia ducti, & perfidia. Eos omnes Chriſtus compellat ad Jod a Moſe in ſuis ſcriptis adhibito, adfirmans ſe velle morum diſciplinæ decreta omnia ut obſerventur in qualibet temporis differentia etiam minima, quæ ſub figura Jod exprimuntur; cumque ea litera ſemper locum habuerit in Scriptura, illa etiam ſemper valitura. Huic igitur textus expoſitioni appoſite ad cauſam quam pertractamus adhereant omnes oportet, qui non præjudicata opinione abripiuntur. Hinc optime argumentum ex ea depromptum vocat Palmarium Schiſchardus, (1) & ſtrenue

 idem

(1) In Bechinat. apperuſc.

idem vindicat contra Valtonum Valentinus Erneſtus Læcherus (1).

CAPUT OCTAVUM.

Nec ex Danielis teſtimoniis capite primo & quinto poteſt probari immutatio characterum in Sacris Bibliis.

SAmariticum characterem in codice Scripturarum anteceſſiſſe Chaldaicum conantur adſtruere adverſarii ex verbis illis, quæ in pariete ſpectante rege Perſarum non ſine prodigio conſcripta apparuerunt, prout habetur Danielis capite quinto verſu octavo. Si omnes, inquiunt ipſi, Chaldæorum ſapientes neque ea legere, eoque minus interpretari valuerunt, id profecto contigit, quia non Chaldaico charactere fuerant ſuperna manu depicta, ſed ipſis ignoto, quale erat Samaritanum. Quod vero fuerit revera Samaritanum arguunt ex eo quod Daniel & expedite legerit, & facillime explicaverit. Verum ſi ſolus Daniel & legit ea verba & expoſuit num fortaſſis quia Hebræus, vel potius quia Propheta Domini? Unde ſi non Chaldaica erant, ergone Samaritica? Calmetus egregie probat potuiſſe voces illas neque legi neque interpretari licet Chaldaico charactere & ſermone expreſſas. = *Porro*, inquit ille (2), *in lin-*

(1) De cauſ. ling. Hebræ.
(2) Comment. in cap. v. Dan. v. 7.

linguis orientalibus, ubi rariſſimus eſt uſus vocalium, & literarum ſenſum plerumque aperit ipſa pronunciatio vel nexus ſermonis; nec novum eſt nec inſuetum, ut illos pariter, qui callent linguam, & characteres, lateant vocabula ſolitaria & nullo ſermonis nexu cum aliis conjuncta, cujuſmodi ſunt illa Mane Techel Phares. *Fac alicui in Hebræo probe verſato occurrere, ex. gr., voculam ſolitariam* d b r דבר, *numquam percipere illam valebit, cum literæ illæ decem omnino diverſis ſignificationibus inſervire poſſint pro varia pronunciandi ratione. Ita pariter accidere poteſt in Chaldæorum lingua, qua fortaſſe tres iſtæ voces deſcriptæ erant.* Rectiſſime hæc dicta ſunt cum ex iis literis efficiantur plures voces quæ varium exprimunt ſenſum: fit enim *dever*, quæ vox *peſtem* ſignificat, fit *davar*, cui reſpondet *verbum*, *dabber*, *loqui*, & hic porro pro varia pronunciatione diverſi ſenſus. Probabilem quoque illorum opinionem exiſtimat Matthæus Polus, qui adfirmant initiales tantum M. T. P. illorum verborum depictas fuiſſe literas (1), in quam iverunt etiam nonnulli ex Hebræis (2). Neque ſpernenda Maldonati aliorumque ſententia eſt, qui afferunt divinitus impeditos fuiſſe, qui ad ea explananda acceſſerunt, ut hæc gloria Danieli reſervaretur (3). Ex iis, quas attulimus, ſeligendam opinionem aliquam confirmat nos ignorantia ipſa præcipuorum ſapientum inter Chaldæos. Poſſibile ne erat

ut

(1) Comment. hic.
(2) Rabb. Saad. & alii.
(3) Maldon. Comment. hic.

ut nullus reperiretur, cui perſpecta foret tum lingua tum character Hebræorum, qui etiam ad ſervitium regis adſciſcebantur? Præterea Daniel tunc temporis a convictu regio ſubductus vivebat ſibi, unde quilibet Judæorum qui vel in civitate eſſet, vel in aula, verba illa potuiſſet perlegere, eorumque ſaltem literalem ſenſum exponere. Verum ſi ob eam cauſam ſolus ipſe accerſitus fuit, non contigit niſi quia ſuperno lumine colluſtratus habebatur: ex quo ſequitur affirmari non poſſe Samariticis literis exactam fuiſſe Scripturam illam.

Neque firmius præbent fundamentum opinioni quam infirmandam ſuſcipimus, verba illa quæ ab ipſis efferuntur deprompta ex capite primo ipſius Danielis verſu quarto. Vulgatus ſiquidem habet eo loci ordinatum a rege fuiſſe Eunuchorum Præfecto, ut tres pueros nimirum Ananiam, Miſaelem, & Azariam doceret *literas*, & linguam Chaldæorum. Literæ itaque alphabeti Chaldaici differebant omnino ab iis quas uſurpabant Hebræi. Verum quid exiſtimandum de hoc argumento ſi aliter illa vox *literas* aliter quam pro vocabulorum elementis exponi poſtulet? In Hebraico textu per vocabulum *ſepher* exprimitur. Notat vero Buxtorfius (1) vocem hanc *ſepher* nullibi Scripturarum literas deſignare alphabeticas, ſed librum potiſſimum, enumerationem, & epiſtolam in utroque numero. Unde Grotius ibi intelligi vult libros Chaldæorum cujuſque ge-

ne-

(1) Diſſert. de gen. *Lit.* Antiq.

Digitized by Google

neris de Hiſtoria, Philoſophia, religione gentis, & de ſcriptionibus, ut ait ille, epiſtolicis. Gejerus vero de ſtylo Curiæ ſicuti & de ſtatutis operibus, & ſtratagemmatis, quæ ad intellectum practicum pertinent. Eadem propemodum habet Cornelius a Lapide & Calmetus. Si verior itaque ac germana eſt hujuſce teſtimonii expoſitio, non Alphabeto inſtruendos, ſed omnigena, quæ tunc apud Chaldeos florebat, literatura & eruditione expoliendos, non eſt cur ad adverſariorum ſententiam comprobandam adhibeatur. Hanc autem roborat explicationem ipſum regis mandatum in quo præſcribitur ſeligendos pueros *eruditos omni ſapientia*, *cautos ſcientia*, & doctos diſciplina. Clarius vero ex decimo ſeptimo, ubi legitur Deum dediſſe pueris illis ſcientiam & diſciplinam in omni libro & diſciplina, ubi notandum eſt vulgatum vocem *ſepher* ibi vertere in librum. Addi etiam utique poteſt ſi verſu quarto capitis primi vox illa literas pro alphabeto uſurpanda eſſet, Eunuchorum præfectus dicto regis non paruiſſet inſtruendo nimirum pueros tantummodo in Alphabeto, cum ſatis ex aliis textibus innoteſcat, Chaldæorum eruditione fore imbuendos, quæ per verbum *ſepher* exprimitur. Si quis autem levem paret objectionem afferendo abſurdum videri Deum voluiſſe, ut Chaldæorum ſcientiis vaniſſimis, & a vera religione alienis darent operam pueri illi, Hieronymi reſponſo acquieſcat. Didicere, inquit ille (1), non ut ſequerentur, ſed ut judicarent atque convin-

(1) Comment. in cap. 1. Dan.

vincerent. Eadem quoque ratione Moſes informari paſſus eſt Ægyptiorum diſciplinis (1). Cæterum Chaldæos valuiſſe plurimum, prout ætas ferebat, in iis etiam facultatibus, ex quarum notitia & uſu religio munda nil caperet detrimenti, ratum exploratumque eſt apud eruditos. Neque audiendi ſunt qui novam proferunt difficultatem ex verbis quæ ſequuntur ſtatim, nimirum & linguas Chaldæorum. Affines eſſe inter ſe Hebraicam, & Chaldaicam linguam ſuperius a nobis dictum eſt. Non ita tamen aſſimilantur, ut abſque omni ſtudio qui unam calleret, poſſet & alteram et pronunciare, & intelligere. Multum differunt in uſu vocalium, ut exempli ergo verbum illud *numeravit* hebraice dicitur *manà*, Chaldaice vero *menè*, & *menà*. Item litera *d* pro *t* & ſic de analogis. Pariter deſinentiæ vocum quæ inter ſe conveniunt, diſcrepant ſæpiſſime. Hinc fit, ut quamquam qui in alterutra peritus alteram facili negotio addiſcat, neutiquam tamen dici poteſt ejus notitiam acquiri poſſe abſque omni prorſus applicatione. Hoc contingit iis omnibus qui in variis dialectis unius & ejuſdem linguæ inſtrui volunt. Cæterum juvenes addicti aulæ officiis indigebant penitiori cognitione Chaldaicæ. Quamquam vero in ejuſdem ſtudio verſati ſint, in eo tamen non longum temporis ſpatium conſumpſiſſe legitur, majoremque partem in ſcientiis adipiſcendis conſumpſiſſe exiſtimandum. Cum vero circa literas, uti vidimus, non legatur inſtruendos fore, ſequitur ab iis quas no-

(1) Act. Apoſt. 7. 22.

Digitized by Google

noverant, non diſcrepaſſe. Sed hæc ſatis perſpicua ſunt, ut longiori non indigeant oratione.

CAPUT NONUM.

Excutitur Hebræorum opinio, ſicuti & veterum Eccleſiæ Doctorum.

COnſulendos in hujuſce quæſtionis tractatione Hebræorum Magiſtros contendunt adverſarii. Licet autem Grotius (1) peſſimos eos traducat ſuarum rerum ſcriptores, tamen adverſarios ipſos nos ſequi oportere credimus, cum eorumdem auctoritati ſummopere innitantur, & nos etiam aſſentiamur iis [2] qui illuſtria quædam ex nonnullis Hebræorum libris decerpi poſſe contendunt, quæ lucem admoveant Biblicis diſquiſitionibus. E Senticetis etiam floſculi quandoque colliguntur. Hieronymus ipſe licet ſæpe deceptum ſe ab illis conqueratur, non diffitetur tamen, plura ab Judæis didiciſſe, quæ opportuna ei viſa ſunt ad explanationem plurium textuum Scripturarum. Hieronymi exemplum ſecuti ſunt Paulus Fagius, Vatablus, Druſius, Mejerus, Bonfrerius aliique, qui literalem ſenſum ſcripturarum inveſtigarunt, & unanimi conſenſione ſtatuerunt non modi-

H cum

(1) Præf. in adnot. Vet. Teſt.
(2) Rich. Simon. Bibl. critic. Bibl. Dupin. ubi agit de Calmeto.

cum adjumenti adferre in expoſitione veteris novique teſtamenti judæorum opera. Munſterus inepte illos agere contendit (1), qui contemptis omnino Hebræis Scriptoribus pergunt interpretari veteris inſtrumenti libros, & Cartwrigtus plurima tradi ab judæis obſervat, quæ propter linguarum peritiam vix ac ne vix alibi reperiantur. (2) Putidas fabulas & anilia commenta, & perſæpe turpia occurri paſſim in eorumdem operibus indubia res eſt; ſed non minus certum præclara etiam ſuæ gentis morum ac rituum univerſæque Hiſtoriæ ſuæ quædam monumenta reperiri. Spernendi itaque non ſunt eorum libri, ſed quod bonum eſt, & utile excipiendum. Hinc Calmetus illorum ſententiis, quamvis in præfatione omnes omnino reiiciendas velit, utitur tamen in ſuis expoſitionibus, licet juxta Ricchardium Simonium (3) a veris Hebræorum deliramentis proferendis abſtinere potuerat, quæ commentarium augent, ſed non illuſtrant.

Interrogandi itaque a nobis ſunt etiam Hebræorum Doctores, cum jactitet Joannes Morinus (4) legem Moyſi in Monte Sinai a Deo characteribus Samaritanis eſſe datam antiquiſſimorum ac recentiorum Hebræorum majorem & ſaniorem partem ultro concedere, quod ante tradiderant Capellus & Valtonus. Attamen Athanaſius Chircherus adeo in-

(1) Præf. in Vet. Teſt.
(2) Præf. in Exod.
(3) loc. cit. de Calmet.
(4) Exercit. Bibl. lib. 2. cap. 1.

Digitized by Google

inconſtantes hic videri Rabbinos ſentit, ut vix obtineri poſſit, quid putent (1). Et certe qui ipſis faveant pauciſſimi ſunt. Buxtorfius ut probet adverſarios conſulto imponere voluiſſe iis quibus datum non eſt Hebræorum libros conſulere, longiſſimam pertexuit in ſuæ ſententiæ patrocinum Doctorum ſeriem tum Miſnicorum tum Gemaricorum tum Cabaliſtarum, præcipuoſque ſeligit qui & antiquitate, & doctrina cæteris præſtant, ita ut perlectis illorum teſtimoniis nonniſi qui aures veritati occludere velit, adduci poteſt, ut aſſerat adhuc eam eſſe, quam adverſarii propugnant, Hebræorum ſententiam. Quos citat tam ingenti numero ſunt, ut in nonnullorum inciderit repræhenſionem in eorum auctoritatibus nimium immorari. Hanc notam potiſſimum illi inurunt Richardus Simon [2] & Schultenſius [3]. Et re quidem vera totus eſt in congerendis illorum teſtimoniis ut potiora argumenta vel ne tangat quidem, eorumque, quæ perſequitur vim omnem nequaquam efferat, unde & ipſe quæſtionem non diremptam reliquit. Nihilo tamen ſecius excuſari utique poteſt, ſi dicamus illi propoſitum fuiſſe præcipue oſtendere, quid in hac cauſa opinati ſint celebriores inter Judæos, quandoquidem ab adverſariis premebatur, qui tuto adfirmabant fere omnes Hebræos, & qui majori doctrinæ laude cæteros antecederent, cum ipſis convenire. Hoc illi concedendum eſt, quid Hebræi ſenſerint non tam copioſe

(1) In Ædip. Ægypt. Gym. Hier. claſſ. 2.
(2) In critic. proleg. Bibl. Tom. 3. cap. 1. & ſeq.
(3) Præf. in gramm. Arab. Eerpen.

ſe quam vere expoſuiſſe, ut nefas ſit aliter dubitare. Hinc hiſce noſtris temporibus, in quibus nullum viget in hac cauſa partium ſtudium, quale non ſine animi contentione efferbuit elapſo ſæculo, eam eſſe, quam propugnat Buxtorfius, Hebræorum opinionem concedunt docti viri. Scriptores anglici, quos ſupra memoravimus [1], aſſeverant Talmudiſtas antiquitati favere Chaldaicorum characterum in Scripturis. Calmetus ipſe, licet ad Samaritanorum partes in hac cauſa deſcendat, fatetur tamen ſub initio ſuæ diſſertationis plures ex Hebræorum magiſtris ante Origenem etiam ſententiam noſtram propugnaviſſe. *Accedit etiam*, inquit ille, *teſtimonium vetuſtiſſimorum apud Judæos auctorum, qui veteres ſemper manſiſſe apud gentem ſuam characteres conſentiunt; eoſdemque qui modo obtinent, priſca etiam ætate adhibitos contendunt. Laudant in eam rem Judam Sanctum qui Miſnam collegit, opus ipſo Origene primo ex fidelibus adverſæ ſententiæ adſertore, vetuſtius. Eadem habent ambo RR. Eliezer in Talmude laudatiſſimi, quos deinde ſequitur turba Rabbinorum in Ghemara.* Hinc ſatis mirari non poſſumus, cur poſtea adfirmet in ſuam ſententiam conſpirare omnes, citatis Rabbi Joſe adverſus Judam Sanctum, & aliis tantum tribus Rabbinis, inter quos eſt Rabbi Moſe Nacmanides, quem licet vixiſſe ſciat poſt Æram Chriſtianam anno circiter milleſimo, majorem tamen vult ſibi vindicare auctoritatem, quam promereantur vetuſtiores. In libro cui ti-

(1) Vid. annot. ad cap. 1.

titulos: ***En Iſrael***, id eſt, ***oculus Iſrael***, quem tanti faciunt Hebræi omnes, & in quo eſt clarius expreſſa doctrina Talmudis legitur, totum mundum fateri, tabulas & librum legis, qui in arca fuit, literis Aſſyriacis fuiſſe conſcriptas. Idipſum indicat Abarbanelus [1] qui nullam prorſus mutationem in ſcriptura invectam aſſerit. Rabbi etiam Ghedalias ait lex data eſt ea Scriptura, qua nos hodie ſcribimus librum legis. Illi vero duo Eliezer ſeu Eleazari poſtquam obſervarint in lege Moſis (2) uncinos vocari *Vavim*, inde concludunt tempore etiam Moſis literam *Vau* pictam fuiſſe inſtar uncini. Cæteros videre eſt apud Buxtorfium. Ex iis quæ diximus, abunde conſtat majorem partem Doctorum inter Hebræos huic ſententiæ ſubſcribere. Unde ſi canon ille Talmudicus abjiciendus non eſt, in quo legitur ſi unus & plures inter ſe opponantur, ſententia feratur ex mente plurium; cum fere omnes accedant ſententiæ noſtræ, adfirmandum proculdubio hanc eſſe mentem Hebræorum.

Sed interea quid reponendum Talmudi Babilonico ubi in tract. Sanedrin (3) ita legitur. *In principio data eſt lex Scriptura Hebræa, & lingua Sancta; iterum data eſt ipſis in diebus Ezdrae Scriptura Aſſyriaca & lingua Aramæa. Elegerunt Iſraelitæ Scripturam Aſſyriacam & linguam Sanctam, & reliquerunt Idiotis Scripturam Hebræam, & linguam Aramæam*. Julius Bartoloccius ut ab hujuſmodi difficultate ſe

ex-

(1) Vide apud Buxtorf. ſicut & teſtimonia aliorum Rabbin.
(2) Exod. 27. 10.
(3) Sect. 2. chæn. Gadol.

Digitized by Google

expediat, reſpondet (1) characteres Hebraicos non diſtingui eſſentialiter ab Aſſyriacis, ſed tantum accidentaliter, ut imperfectum diſtinguitur a perfectiori. Scriptura quippe Hebraica appellatur Libbonica a Ghemara; Libbonica autem Scriptura dicuntur a Rabbi Salomone in eodem loco characteres majuſculi, quos ſcribunt in Amuletis, & in Schedis oſtiariis. At hujuſmodi characteres Hebraici ſunt & quadrati, ſed non adeo majuſculi, & eleganter ſcripti ſicuti characteres, quibus ſcribuntur libri legis ſacri qui in armariis Sinagogæ reconduntur. Hæc probabilia ſunt, cum habeat patronos & Hebræos doctores. Attamen noſtra quidem ſententia melius tuetur ſe Bartoloccius, dum accepta ſemel ea Talmudis Hiſtoria ſciſcitatur ab adverſariis unde proveniat reliquorum ſacrorum librorum, puta Joſue, Judicum, Regum, & Prophetarum antiquo charactere exaratorum in toto terrarum orbe nullus hactenus repertus ſit? & non ſolum quidem in noſtra ſed neque ætate Hieronymi & Origenis ſicuti nec Philonis? dices quia omnes aboliti fuerunt. A quibuſdam? A Samaritanis? non prudenter. Teſtimonium ſiquidem præclariſſimum habuiſſent ſcriptionis antiquæ, quam tanti faciunt in ſuo Penthateuco. Inſuper quamquam non ea veneratione eoſdem proſecuti ſint ſicuti legem Moſis, legiſſe tamen conſtat & in primis librum Joſue, & Prophetas. Si vero dicas ab Ezdra abolita fuiſſe omnia ſacra volumina antiquo charactere conſcripta, ut ſuum novum indu-

(1) Part. 4. quæſt. hic.

Digitized by Google

duceret, & propagaret. Abſit hoc ut aliquis tam levi mentis acumine credat electum a Deo Ezdram pro ſacrorum voluminum reparatione ea interim aboleviſſe a quibus nova exemplaria emerſerunt. Statuit Calmetus (1) non ſtatim hanc immutationem invectam, ſed paullatim & poſt longum completam temporis intervallum; ex quo erui commode poteſt, non ſolum codicem aliquem ſub veteri charactere ſuperfuiſſe, ſed eam immutationis notitiam antiquitus ita fuiſſe pervulgatam, ut nullus jam dubitationi daretur locus.

Hæc ſunt maximi ponderis, ſed ad labefactandam Talmudis auctoritatem propius accedunt, quæ nunc proponimus. Obſcuritate quadam laborare textum illum, & quidpiam obtrudere quod ſit mendoſum, cuilibet animadvertenti patet. Ibi enim dicitur in principio datam fuiſſe legem Hebræis ſcriptura Hebraica, & lingua Sancta. Poſtea vero eadem lex eiſdem data eſt ſcriptura & lingua Aramæa. Hiſce verbis aſſeritur in diebus Ezdræ legem fuiſſe conſcriptam non ſolum novo charactere ideſt Syriaco, ſed lingua etiam Syriaca. Lingua ſiquidem Aramæa eſt certe lingua Syriaca, cum Syriæ regio appelletur ab Hebræis Aram (2). Hoc autem falſum eſt, cum nemo ſit qui adfirmet ſcripturarum idioma eſſe Aſſyriacum, neque umquam ſcripturæ eo tempore comparuerunt ſub lingua Syriaca. Targumim ſeu verſiones Chaldaicæ vix ætatem Chriſti præcedunt (3). Huc acce-

(1) Differt. hic.
(2) Vid. Cluver. lib. 5. cap. 20. introd. in Geogr.
(3) Chriſtoph. Volf. part. II. & IV.

Digitized by Google

accedit, quod poſteaquam dictum eſt latam fuiſſe diebus Ezdræ legem lingua Aramæa, ſubditur Hebræos elegiſſe linguam Sanctam. Sed ſi Deus Ezdræ, & Ezdras ſuis dederunt legem lingua Aramæa, cur poterant deinde ipſi Hebræi ſibi eligere linguam Sanctam? nonne ſervare debuerant in ſcripturis eam linguam, quæ data eſt in diebus Ezdræ, quod quidem dicendum eſt contigiſſe ex præſcripto ipſius Ezdræ, & ſeniorum. Tenebras certe offundunt auctores Talmudis, dum hæc venditare ſtudent. Inſuper eam linguam quam volunt elegiſſe Hebræos vocant Sanctam, & quidem non alia de cauſa, quia in ea verba Dei ſcripta ſunt, unde intelligi profecto nequit cur pari ratione Sanctum non appellent characterem, qui primo ad exhibenda pariter verba Dei non hominis manu ſed ſuperna virtute in tabulis delineatus eſt. Ita enim dant operam, ut ſuſpicemur ex ipſorum verbis non rem geſtam ſed fabellam obtrudere. Indubium eſt etiam hujuſmodi auctores ſtuduiſſe quammaxime ut Ezdram extollerent, & Moyſi etiam æquipararent quod alibi obſervatum eſt; idcirco ſi novam ſcripturarum compoſitionem Ezdræ adjudicare evidenter non potuerunt, nil mirum, fabulando curaſſe, ut iſtud ſaltem opus ſuper ſcripturas ipſas tribueretur Ezdræ. Demum quid reponent adverſarii ſi probetur Talmudem cum Talmude ipſo pugnare? In Seder Moed tract. Meghillah traditur quinque literas *mem nun tzade pe coph*, quæ in fine dictionis aliter ſcribuntur quam in principio & in medio, a Moyſe ipſo dupli-

plici hac figura fuiſſe uſurpatas. Qua inde ratione ſi Samariticis uſus eſt non Chaldaicis?

Ad rejiciendam Talmudis Hiſtoriam hanc nos movet quoque Philonis teſtimonium, cujus quidem auctoritatem in hujuſmodi diſputatione anteponendam cenſemus non Talmudi ſolum, ſed cæteris etiam Hebræorum Magiſtris, qui Talmudi conſentiunt. Ille enim circa dimidium floruit ſæculi primi, opus vero Talmudis vix initium ſæculi tertii antevertit (1). Philo itaque in vitæ Moſis libro ſecundo legem aſſerit primo Chaldaice ſcriptam, unde & charactere Chaldaico. Quapropter Baronius ſuper hæc verba Philonis ita ſcribere non dubitavit (2): *Philo Judæus illa ipſa lingua ac charactere, quo antiquitus ſcripta lex eſt, ſic permanſiſſe ſemper abſque ulla mutatione uſque ad tempora Ptolomæi Philadelphi, qui eam per Hebræos in græcum transferri curavit, aperte teſtatur*. Cauſam deinde exponit cur Philo linguam ſcripturarum vocet Chaldaicam, eo nimirum quia tempore Moſis una & eadem erat, quæ conſuetudine & uſu conſervata eſt, & excrevit uti legitur in ſcripturis; apud Chaldæos vero ſub diverſa ratione, quemadmodum uſuvenit in aliis linguis, quæ ſi accipiantur a diverſis populis diverſimode inflectuntur, novæ conduntur voces, & in eiſdem paulatim elementares literæ immutantur in ſuas analogas, ut qui in una adſuetus eſt vix alterum intelligat, qui eamdem ſed alio modo pronunciat. Et certe Abraam

 de

(1) Biblioth. Hebr. Chriſt. Volf. part. 2. de Orig. Talmud.
(2) ad Ann. Chriſt. 180.

Digitized by Google

de Chaldea venerat, & licet aliquod cum Chananæis commercium neceſſario iniviſſet, hoc tamen ſi in cauſa eſſe potuerit, ut eorumdem lingua ipſi penitus ignota non eſſet, longe tamen eſt ut aſſeri poſſit uſum propriæ linguæ perdidiſſe ob tenacitatem naturalem proprii idiomatis, quod a nativitate didicit ipſe ejuſque domeſtici, quos multos fuiſſe conſtat ex ſubſtantiis quas poſſederat, ſuiſque militaribus expeditionibus. Ipſemet Abraam jam ſenex ſeniorem ſervum voluit ut proficiſceretur in terram ſuam & cognationem ut uxorem inveniret filio ſuo Iſaac. Hic ſtatim profectus eoque perductus cum puella Rebecca expedite locutus eſt, iiſque omnibus qui pertinerent ad illius familiam, narravitque omnia quæ edoctus fuerat ab Abraam (1). E quibus omnibus adſtruitur ſane eamdem linguam eamdemque ſcribendi formam, quæ Chaldæorum propria fuit, tenuiſſe Moſem, quem ſecuti ſint reliqui Sacri Scriptores. Hæc omnia probant etiam uſque ad primum Eccleſiæ ſæculum ignotam fuiſſe opinionem de permutatione literarum in Scripturis apud Hebræos, demptiſque paucis conſentire omnes invariatam ſemper ſcribendi rationem fuiſſe in Sacris Bibliis.

Quod vero ſpectat ad Eccleſiæ Patrum auctoritatem non ii ſumus, qui conſuetudinem moremque velimus perſequi illorum, qui cum inciderint in quorumdam Sanctorum Patrum ſententias, ex quibus clare innoteſcat res Hebræorum ipſis non ſatis eſſe perſpectas, acerrimo eos ſtylo in-

(1) Geneſ. cap, 24.

Digitized by Google

inſeſtantur, deſpiciunt & exprobrant. Hoc autem, ut ait Canus (1), impudentis hominis eſt, & illorum præcipue, qui præceptis Theologiæ nullis acceptis, poſt bonas, quas vocant literas, ſtatim ad Sanctorum veterum lectionem appellunt animum. Diſſentire ab ipſis, quamquam in eadem ſententia plures ſint, in iis quæ ad fidem minime pertinent, ſi ratio id ſuadeat, utique poſſumus; ſed non eſt cur ab eorum placitis recedamus permiſcendo ſimul injurias, & contumelias. Uberrimi ſiquidem fructus ex eorum operibus in Eccleſiam promanarunt. Rumores quoſdam pro re certa atque explorata nonnullos ex veteribus Patribus in hac quæſtione excepiſſe conſtat. Ezdram de novo conſcripſiſſe Deo afflante ſacros codices credidit Iræneus (2) Tertullianus (3) Baſilius (4) quos ſequitur Euſebius (5) qui eadem verba refert Irænei. Hoc autem ita falſum eſt ut nihil magis. Quidni ergo exceperint etiam opinionem de permutatione literarum? Baronius cauſam & originem repetit iſtius opinionis ex ſuaſu quod Ezdras de novo omnia Dei verba conſcripſerit. Et certe Euſebius conjunctim acceptas eſſe tradit, dum ait: *Ezdras eruditiſſimus in lege Divina fuit, affirmaturque Divinas ſcripturas memoriter condidiſſe, & ut Samaritanis non miſcerentur literas judaicas commutaſſe*. Notanda quoque eſt Euſebii illa phraſis *affirmaturque* qua utique

(1) In loc. Theol. de Sanct. Patr. auct. cap. 3.
(2) Lib. 3. cap. 25.
(3) Lib. de habit. muliebr.
(4) Epiſt. ad Chil.
(5) In Chronic. lib. 5. cap. 8.

Digitized by Google

innuitur illud non pro certo habuiſſe, ſed adfirmari; unde ſi perperam ac ſine ratione adfirmatum fuit noviter Ezdram condidiſſe Scripturas, quia genuina non ſuppetant monumenta ad hujus rei adfirmationem; ob eamdem profecto cauſam immerito ſuadetur et immutaſſe literas. Idipſum plane conſtituendum eſt de Origenis ſententia. Teſte Montfauconio (1) illud de Tau Samaritico, uti ſupra indicatum eſt, audivit a quibuſdam Hebræis ad fidem converſis, quod forte ajebant, vel quia imbuti falſa opinione Pſeudezrini operis, vel ut fucum facerent relligioni quam amplexi ſunt. Scimus etiam valde hallucinatum dum exiſtimavit Samariticas eas literas quæ nomen Dei referebant in nonnullis exemplaribus græcis quæque Hebraicæ erant, ſed ignorantia amanuenſium figuras quaſdam obtinuerunt, quæ neque Hebraicæ eſſent, neque Græcæ (2).

Longius immorandum eſt ſuper ſententiam Hieronymi, qui plurimum inſudavit, ut res Hebræorum ipſi innoteſcerent. Ait enim (3): *certum eſt Ezdram legis Doctorem ſub Zorobabele alias literas reperiſſe, quibus nunc utimur; cum ad illud uſque tempus iidem Samaritanorum, & Hebræorum characteres fuerint*. Verum deceptum ſæpe Hieronymum ab Hebræis, & quæſtionem hanc obiter tetigiſſe inconſultis Hiſtoriæ indubiis monumentis capite ſeptimo obſervatum eſt. Hinc non immerito ita de eo loquitur Franciſcus Junius

(1) Palæogr. cap. 2.
(2) Vid. Bibl. Critic. Proleg. Rich. Sim. T. 3.
(3) Præf. in lib. Reg. & alibi.

Digitized by Google

nius (1). *Hoc*, inquit ille, *a Judæis præceptoribus didicerat Hieronymus, nec non a Samaritanis, qui iſtam laudem ſibi adhuc ſalſo vindicant noſtra memoria, quod matricis illius ſcripturæ ſint cuſtodes*. Addi etiam poteſt reapſe in aliorum ſententia ea verba potuiſſe Hieronymum, niſi ſecum pugnare velimus. Etenim ſermonem inſtituens de vocibus illis, quæ inſculptæ erant in lamina aurea Summi Pontificis, Chaldaico charactere aperte tradit fuiſſe expreſſas [2]. *Octava*, inquit ille, *eſt lamina aurea, in qua ſcriptum eſt nomen Dei Hebraicis quatuor literis* י jod, ה he, ו vau, ה he, *quod apud illos ineffabile nuncupatur. Hæc ſuper pileolum lineum & communem omnium Sacerdotum, in Pontifice plus additur, ut in fronte vitta biacynthina conſtringatur; totamque Pontificis pulchritudinem, Dei vocabulum coronet, & protegat*. Ex quibus verbis clare patet innuere Sanctum Doctorem ſua ætate ſcribi a Judæis Nomen Dei quadriliterum iiſdem literis, quibus ſcribebatur Aaronis ætate. Et certe apponit figuras ipſarum literarum ad indicandum ipſas omnino eſſe, & non alterius formæ. Ad hæc ipſemet Hieronymus ſententiam refert Philonis (3), quam ſupra memoravimus, eamque, licet alibi *certus* de immutatione literarum, nedum refutat, quin etiam non recuſat accipere. Ex aliis itaque & quidem perſpicuis Hieronymi teſtimoniis luculenter probatur, dum de innovatione literarum mentio-

nem

(1) Ad Bellarm. lib. 2. de Verbo Dei cap. 2.
(2) Epiſt. ad Fabiol.
(3) Comment. in Daniel.

Digitized by Google

nem facit, in aliena ſententia locutum. Neque movere quempiam debent verba illa *certum eſt*, cum alibi etiam utatur adverbio *manifeſtiſſime* licet omnes conſentiant ibi loqui in Hebræorum ſententia. Explanando enim textum illum *plantaverat Deus Paradiſum voluptatis Micchedem*, hanc vocem *chedem* vertit *a principio*, ſubditque *ex quo manifeſtiſſime comprobatur*, *quod priuſquam cœlum & terram faceret Deus*, *Paradiſum ante condiderit*, quæ eſt ſententia plurium ex Cabaliſtis. Nec dicas facili negotio deprehendi non tam abſurdam voluiſſe Hieronymum propugnare ſententiam; e contra vero tantæ abſurditatis ſpeciem non præſeferre opinionem de immutatione literarum. Hæc habet in libro de quæſtionibus Hebraicis in Geneſim, ubi ex textu hebræo veritates quaſdam depromere ſatagit, & dum ait *manifeſtiſſime comprobatur*, procùldubio indicare videtur non ſe repudiare hanc Hebræorum traditionem. A veritate etiam non recedunt, qui putant confirmatum in ea opinione circa characterem a libris Origenis, quos ſæpe ac multum evolviſſe conſtat. Eam tamen deſeruiſſet, ſi vetuſtatis expendiſſet monumenta, & argumentorum quibus fulcitur, imbecillitatem animadvertiſſet; quod ab eo factum non eſt cum diligentiſſime ac ſummo ſtudio quæſtionem hanc non pertractarit. Hiſtoriam etiam Beli & Draconis [1] recenſuit inter putidas fabulas, quam tamen Eccleſia ſemper venerata eſt, ac dein inter genuinas, ac divinas Hiſtorias computavit. Sed de his ſatis, nunc pergamus ad alia.

CA-

(1) Lib. Tob.

Digitized by Google

CAPUT DECIMUM.

Hebræorum numiſmata minime favent immutationi charaƈteris in Sacris Bibliis.

AD eam tandem devenimus diſquiſitionis partem in qua diſputatur quem locum in hac cauſa obtineant Hebræorum numiſmata, & cuinam faveant ſententiæ. Nos, ea quæ mox diƈturi ſumus, in ſpem adducimur, ætatis noſtræ doƈtiſſimos viros fore probaturos. Porro rei nummariæ ſtudium tum ad veram internoſcendam Hiſtoriam & a falſis rumoribus ſecernendam, tum ad conſtituendas Chronologicas ſupputationes prodeſſe plurimum perſpicuum ſane eſt; verum ſi eodem intemperanter utamur, decipimur frequenter, & quandoque etiam in deriſum incidimus illuſtrium virorum. Ex pervetuſtis Hebræorum ſiclis ita firmari opinionem ſuam clamitant adverſarii, ut hoc argumentum velut Achilleum & ineluƈtabile proponant. Humphredus Prideaux & anonimus Auƈtor animadverſionum ad criticam Simonii ob eam ſolum cauſam charaƈteris innovationem in ſcripturis propugnant, ſicuti & alii permulti. Ajunt ſiquidem veros ſiclos qui comparuerunt ante Babilonicam ſervitutem in Judæorum republica inſcriptos olim fuiſſe literis Samaritanis: illos vero, in quibus reperiuntur Chaldaicæ literæ ſi non recentiſſimos ſaltem volunt cuſos poſt diƈtam captivitatem.

Ve-

Digitized by Google

Verum quid erit de tanta vi ac robore argumenti iſtius, quotieſcumque inviſtiſſime probet ur nullum apud Judæos extitiſſe umquam ante illam clade m numiſma ſignatum neque figuris neque literis? Si id profecto demonſtretur, ruat neceſſe eſt moles tota graviſſim i hujus argumenti. Quæ proponimus luculentiſſima nobis videntur.

Obſervandum primo eſt Abraami tempore uſum nequaquam invaluiſſe monetæ ſignatæ. Ipſe enim ut ſepulcretum erigeret uxori ſuæ agrum emit pecunia, quam textus ait appendiſſe (1). Hoc autem verbum *appendere* ad lancem ponderare ſignificat, non numerare, & ubi dicitur in vulgata quadringentos ſiclos argenti monetæ publicæ, Hebræus habet בכסף עבר לשחר id eſt argenti tranſeuntis ad mercatorem, unde ſeptuaginta vertunt argenti probati a mercatoribus, quo perfectio ponderis indicatur, cum probata eſſet pecunia illa, ſicuti ſolent eam probare exactiſſime mercatores (*).

Mu-

(1) Gen. 23. 16.

(*) Infirmari neutiquam credimus hanc Hiſtoriæ veteris partem ex eo quod legatur verſu decimo nono capitis 35. Geneſeos, emiſſe Jacob partem agri a filiis Emor centum *cheſitah*. Cum enim non adhuc conſentiant interpretes quid proprie ſignificet vox illa *cheſitah* nullum poteſt formari certum argumentum contra opinionem quam modo defendimus. Alii volunt innuere monetam veram ſeu legitimam, alii nummos cum figura agni ſignatos, alii proprie agnos, alii a radice perſica *chiſta* id eſt vas aliquod in quo eſſent nummi. Verum non ſolum Vulgata verba illa centum *cheſitah* accipit pro centum agnis, ſed etiam verſio Chaldaica, Syriaca, Arabica, & Pagnini; unde cur recedendum ab hujuſmodi interpretatione? fortaſſis quia eſt *cheſitah* generis fœminini? In capite 24. v. 72. Joſue ubi eadem Hiſtoria memoratur ſic legitur in eadem vulgata oſſa Joſeph ſepelierunt in parte agri quem emerat Jacob centum novellis ovibus. Cæterum cum nullibi reperiatur in ſcripturis veſtigium uti a nobis comprobatur, ſignatæ monetæ; e contra vero dumtaxat appenſæ, ex hoc dubio teſtimonio perperam ſibi conſulunt, qui ex eo argui volunt tunc temporis invaluiſſe monetam ſignatam. Inſuper

Digitized by Google

Munerum, quæ obtulit Rebeccæ Eliezerus, valor omnis deſumitur ex numiſmatum pondere (1). Aliud quoque illuſtre teſtimonium produnt Scripturæ, ubi tradunt Joſephi fratres retuliſſe pecuniam, quam, dum redirent, invenerunt in ſacculis eodem ipſo pondere (2). Eamdem quoque conſuetudinem viguiſſe ætate Moſis commonſtrat Dei præceptum emendi Aromata ad componendum Thimiama, ubi indicatur pecuniæ pondus [3]. Conſtituta etiam Hebræorum Republica idem mos ſervabatur. Pondere ſiquidem diſtinguntur Sicli, quibus exiſtimabantur Abſalomis detonſi crines (4). Jeremias quoque in cujuſdam agri emptione appendit argentum in ſtatera (5). Amos etiam objurgat eos, qui non ſolum condebant fruges tempus expectando amplioris quæſtus, utque tranſirent cito feſti dies, cupiebant ad avaritiæ indulgendum, ſed etiam quia juxta emptionem vel venditionem augebant vel minuebant pecuniæ pondus ſuppoſita lance doloſa (6). Plura alia referri poſſent ex Scripturis petita teſtimonia in hujus rei confirmationem, ſed hæc ad rem noſtram ſatis utique ſunt. Solum addere liceat apud Sanctuarium etiam extitiſſe pondus ut fraus omnis tolleretur in ponderandis pecuniis, & Hebræos

K

cur potius a figura agni appellatam fuiſſe monetam illam, non vero quia ſucceſſerit traditioni pecudis, ita ut non a figura, ſed a rebus ipſis quæ antea permutabantur ſortita ſit nomen?

(1) Geneſ. 24. 22.
(2) Geneſ. 43.
(3) Exod. 3. 24.
(4) 2. Reg. 14. 26.
(5) cap. 32. 9.
(6) cap. 8. v. 5.

Digitized by Google

bræos detuliſſe ſecum, dum ad commercium accederent, ad pecuniæ pondus notandum, quoſdam lapillos; unde ubi vulgatus interdum legit Siclum, Hebræus habet אבן ideſt lapidem, ſumpto menſuræ nomine pro re dimetienda. Colligit quoque Hermannus Conringius (1), cæteras etiam nationes tunc temporis nummos non habuiſſe cuſos, utiturque Ariſtotelis auctoritate, qui non longe a ſua ætate commemorat incepiſſe uſum ſignati numiſmatis (2), cum antea magnitudine & pondere diſtingueretur pecunia. Nullus etiam, addit ille, hiſce temporibus nec Aſſyriorum, nec Medorum, nec Chaldæorum, nec Perſarum ſupereſt nummus. Græcorum vero nummorum vetuſtiſſimi haud attingunt Peloponneſiacum bellum. Romani ſub Servio Tullio, cujus regnum incidit in tempora exilii Babilonici, aſſem libralem ejuſque partem ſignare cæperunt, & æris illius etiamnum ſuperſunt nummi nonnulli. Quæ vero ſuperſunt æris gravis illius Monetæ, non debent ipſi Servio Tullio natales ſuos, ſed vix primum punicum bellum antecedunt.

Hiſce itaque antiquitatis monumentis, neminem arbitror eſſe, qui non det libenter nummos ſeu Siclos illos qui exhibent vel Abraæ, vel Moſis, vel Davidis, vel Salomonis imagines cum quadratarum literarum inſcriptionibus ſpurios eſſe ac recenter cuſos; ſed tolerent etiam adverſarii neceſse eſt, ut etiam ſuis nummis cum literis Sama-

(1) In Paradox.
(2) lib. 1. Polit.

Digitized by Google

maritanis vetuſtatem abiudicemus, quam eiſdem tribuunt; conſtituamuſque æque eſſe ſuppoſititios, neque promereri ut ob eam cauſam ſummo ſtudio, ac diligentia cuſtodiantur in Nummothecis; & ſi repudiare eos oportet quos vidit Hottingerus, Stephanus Morinus, Bartoloccius aliique, repudiandos quoque quos obtrudunt Valthonus, Spanhemius, Sgambatus, Arduinus, Soucietus, & Rabbini etiam. Hinc jure merito dolet Hotto Sperlingius (1) perperam ſe torſiſſe viros ceteroqui doctiſſimos in illis explicandis, & oleum operamque perdidiſſe in aſſignanda eorum ætate. Hoſce Siclos comparuiſſe obſervat poſt reſtaurationem ſtudiorum linguarum Orientalium in Concilio Viennenſi ſub Clemente Quinto, unde concludit ſequioris ævi ad decipiendos Chriſtianos ab Judæis oberrantibus fuiſſe confictos, & obtruſos lucri cauſa, cum veriſſimum ſit a nemine antiquorum de nummis propriis Hebræorum cuſis & ſignatis ſive aureis ſive argenteis & eo minus æneis mentionem fieri. Mentionem quoque Monetæ exhibentis imaginem Saulis, Joſuæ, Davidis, Salomonis non fieri niſi in recentiorum Rabbinorum libris, ſed nihil in tota Scriptura, nihil in primis Scriptoribus poſt Jeroſolymæ excidium. Primus ſiquidem horum numiſmatum mentionem facit Rabbi Moſe Gerundenſis, qui in vivis erat ineunte ſæculo decimo quarto, & Rabbi Azarias decimo quinto ſæculo (2).

Hæc tam perſpicua ſunt, ut non indigeamus argumen-

(1) De Sicl. Hebræor. cuſis.
(2) Vid. Volf. part. 2. Biblioth. Ebræ.

Digitized by Google

to petito a ſumma Hebræorum cura ne imagines fierent, ut non præberetur occaſio infringendi legem, labendique in Idololatriam, cui ruditas populi proclivis erat. Non levis tamen ponderis eſt. Hebræi omnes tradunt, apud ſuos neminem qui imagines faceret, locum habuiſſe; & in urbem nullus excipiebatur pictor, ſtatuarius nullus. Sic Maimonides (1), Rabbi Levi Barzelonita (2), Rabbi Menaſche (3) & alii. Hæc tamen tanti non eſſent ut ipſis adſtipularemur, niſi eadem proferret Philo (4), qui ait Moſem ſpecioſas artes Picturam & Statuariam e ſua republica expunxiſſe. Joſephus vero ipſum damnat Salomonem, qui boum ſimulacra conſtruxerit ſubter Baſim Maris (5), in quo tamen reprehendi non poterat tum propter uſum cui inſerviebant, tum etiam cum difficile omnino fuerit, ut in templo ipſo ob jugem veri cultus obſervantiam & Sacerdotum vigilantiſſimam curam figuras quaslibet occaſionem eſſe potuiſſe erroris, & ſuperſtitionis: e contra vero ſi imperitum vulgus ac duræ cervicis domi haberet inſculptas imagines. Scripturæ zelum commemorant Ezechiæ regis, qui æneum Serpentem uſque ad ſui ætatem ſervatum comminuit (6), quia Judæi eum colebant, cujus criminis magis poterat imminere periculum ex familiari conſuetudine habendi apud ſe faciem inſculptam Abraæ, Moſis, Joſue, Davidis Sanctiſ-

ſi-

(1) cap. 3.
(2) Apud Hotting.
(3) Quæſt. 3. in exod.
(4) Lib. de gigant.
(5) Lib. 12. Antiq.
(6) 4. Reg. cap. 18. v. 4.

ſimorum virorum, qui ob eam cauſam aliquem merebantur honorem. Notatu quoque dignum eſt hos Siclos qui circumferuntur, nullam Regum Iſraelitarum præter Davidis & Salomonis, imaginem exhibent. Poſſibile ne eſt ut nullus ex Regibus, qui eis ſucceſſerit, cum jam hoc foret in uſu, voluerit ut numiſma cum ſui imagine cuderetur? Quod ſi factum eſt, cur remotioris ætatis tantum non recentis nummi inventi ſunt? Si non ambitionis cauſa vel adulationis, certe dignitatis amplificandæ augendique commercii ea numiſmata lapſu temporis ſuccreviſſent. Demum cur hi nummi Hebræorum detecti ſunt, non vero cæterarum nationum orientalium ? Calmetus, licet alibi pugnet pro antiquitate Samaritanorum characterum, attamen ex Siclis nihil quo ea ſententia erui poſſe & ipſe fatetur ingenue (1) concluditque quaſcumque, quæ fiunt a Villalpando, Valtono, Vaſero, aliiſque, ratiocinationes in fundamentis nutant, ut proinde horum numiſmatum vetuſtas ſpecioſior ſit quam ſolidior (*). Eadem habet Chriſtophorus Volfius, remque eſſe poſitam decernit extra omnem dubitationem (2). Si itaque nummi iſti omnes poſt captivitatem Babylonicam formati ſunt, nequaquam idonei erunt

ad

(1) Diſſert. 8. de Num. Hebræor.

(*) Richardus Simon uti vidimus cap. 1. in Hiſt. Critic. Vet. Teſt. Samaritanis aſſentit, ſed in Biblioth. Critic. inſtructior factus, ut ait ipſe, palinodiam canit. Auctor Animadverſionum in eamdem Bibliothecam ipſum carpit. At immerito. Totum enim ſuæ reprehenſionis fundamentum collocat in ſuis Siclis.

(2) Part. 2. de verſ. Samar.

ad controverſiam de antiquitate characteris Samaritani componendam.

CAPUT UNDECIMUM.

De Penthateuco Samaritano. Expenduntur quoque nonnullæ Calmeti obſervationes.

PRæſtat quoque Penthateuci meminiſſe Samaritani, ne illuſtre argumentum ab eo petitum in ſuæ cauſæ præſidium ab adverſariis, conſulto præteriiſſe videremur. Hunc Penthateucum vetuſtiorem ipſi faciunt Hebræo, eumque eſſe purum putumque Dei verbum contendunt, quod ſcripſerit Moſes, ita ut Samaritis hæc laus concedenda ſit, verum & genuinum legis Codicem ſervari apud ipſos. Cumque hujuſmodi Codex literis Samariticis exaratus ſit, colligunt inde eaſdem in Scripturis primigenias eſſe. Qui hanc ſententiam invexerit primus & acerrime propugnaverit, fuit Joannes Morinus (1), quem ſecutus eſt Ludovicus Capellus (2) aliique quibus alte defixum erat Samariticas literas primum tenuiſſe locum in Scripturis. Infelici tamen ſucceſſu. Oppugnatus ſiquidem vehementer eſt non ſolum ab Joanne Buxtorfio (3) ſed majori vi ab Joanne Henrico Hot-

(1) Exercit. Eccl. ad Penth. Sam.
(2) Critic. Sac. lib. 3. cap. 20.
(3) In Anticr. part. 2. cap. 7.

Digitized by Google

Hottingero (1) & Simeone de Muis (2); ſed qui poſtremo in eum ſtrenue cauſam egerit, fuit Stephanus Morinus (3). Deinde Joannem Morinum, plus æquo extuliſſe ſuum Penthateucum animadverterunt etiam Richardus Simonius (4), Elias Dupin (5), & Natalis Alexander (*) (6). Ad Morinianæ opinionis refutationem utitur Vaſmuthus verbis Apoſtoli, ex quibus colligit (7) non ſolum primo Hebræos habuiſſe eloquia Dei, ſed eadem ſemper & conſtanter abſque ulla immutatione ipſis veluti depoſitariis fuiſſe concredita (8). Ea etiam profert Chriſti Domini dum ait: *ſcrutamini Scripturas, de me enim ſcripſit Moſes* (9); quæ verba innuere contendit originarium textum Hebræum eſſe non Samaritanum, eo quod non ad hunc, ſed ad alterum

Ju-

(1) In exercit. Antimor.
(2) Aſſertion. Hebraic. verit.
(3) De ling. primæv. exercit. 2.
(4) Lib 1. Bibl. critic. Prol. cap. 11. & 12.
(5) Diſſert. Præl. Bibl.

(*) Putat Richardus Simonius idcirco Morinum tanti feciſſe Penthateucum Samaritanum, ut de gradu ſuo dejiceret Hebræum textum quo abutebantur Heterodoxi, & ad id permotum fuiſſe a De Berulle. Quod ſi verum, certe conſilium foret commiſerandum utpote injurium tum textui latino ſcripturarum quo utitur Eccleſia, tum ipſi Eccleſiæ. Etenim vulgata non ſupra textum Samaritanum, ſed ſuper Hebræum concinnata eſt. Injurium vero Eccleſiæ, quaſi ipſa Hebræi textus teſtimonia pertimeſcat, ac fateatur ex eo depromi poſſe argumenta contra id quod docet, & credendum præcipit; quod quam falſum ſit comprobatur ex iis quæ a nobis dicta ſunt in præfatione. Certe ſi non Morinus, alii tamen ex catholicis temporibus Lutheri ac deinceps Hebraico Samaritanum ea de cauſa anteponi voluerunt, ac propugnarunt etiam antiquitatem characteris Samaritani Abſit tamen ut propoſitum illud attribuatur Eccleſiæ, quæ non ex textu latino ſolum, ſed & Hebræo Sacroſancta fidei dogmata probat, erroreſque confutat.

(6) Diſſert. 8. ad prim. mund. æt. Hiſt. vet. Teſt.
(7) Vind Hebr. text. Th. 4.
(8) Ad Rom 9. 4.
(9) Joann. 5. 39. 46.

Digitized by Google

Judæos compellat Chriſtus. Hoc, ſubdit, negari non potuiſſe a Valtono qui pronuntiat diſerte noſtrum textum Hebræum habere teſtimonium Chriſti, & Apoſtolorum (1). Notum quoque eſt Auguſtinum non Samaritas, ſed Hebræos vocaſſe ſcriniarios noſtros ob diligentem in quavis ætate ſacrorum codicum cuſtodiam. Sed quod rem magis cauſamque continet, illud profecto eſt, veteres Patres vix aut nihil Penthateucum Samaritanum adhibuiſſe. Etenim ſi Origenes eundem reputaſſet vere originarium numquam eum prætermiſiſſet in ſuis exaplis. Neglexiſset ſiquidem quod præcipuum erat. Hieronymus quoque pluribus in locis Hebræum textum commemorat præclaro hoc nomine *Hebraicæ veritatis*, & hanc Hebraicam veritatem ſupra quemlibet alium textum etiam Samaritanum eminere pronunciat. Ubi vero occurrunt ea verba Cain ad Abel (2), nimirum *tranſeamus in campum* quibus potiſſimum utitur Morinus in ſuæ opinionis confirmationem cum deficiant in textu Hebræo, idem Hieronymus decernit (3) ſuperflue apponi in volumine Samaritanorum. Immo ex ipſius ſententia in qua Origenem ſequutus eſt (4), contra textus germanam ſignificationem adjecta ſunt. Vult enim in iis verbis *dixitque Cain ad Abel* ſubintelligi *ea quæ locutus eſt Dominus*, ita ut ſenſus ſit Cainum narraſſe Abelo quæ illi pau-

(1) Proleg. 4.
(2) cap. 4. v. 8. Geneſ.
(3) In quæſt. Hebraic. ad 4. Geneſ.
(4) In exapl. Edit. Montfauc.

Digitized by Google

paulo ante dixerat Deus, videlicet *quare iratus* es &c. (*).

Ad uberiorem vero ſententiæ noſtræ confirmationem obſervandum eſt, ſæpiſſime ab Hebræo diſcrepare textum Samaritanum ubi incidunt in Hebræo literæ in ſtructura ſimiles, quarum unam pro alia uſurpat textus Samaritanus. Loco exempli nonnulla proferentur, cum perſequi omnia longiſſimum foret. In Geneſi ubi Hebræus habet *exire fecit ſeu evaginavit*, Samaritanus habet comminuit (1), ideſt וידק pro וירק ſumpta litera *Daletb* pro litera *Reſc*. Uſurpat quoque literam ה *be* pro ח *chet*. Sic in Geneſi ubi montes dicuntur *alti*, Samaritanus legit montes *calvos* (2). iteram etiam finalem ך *capb* pro *reſc* legendo *betocb* pro *betor*, id eſt in ordine, & non in medio (3). Dicitur in Hebræo

ecce

(*) Hiſce verbis *tranſeamus in campum* quæ non ſolum in codice Samaritano, ſed etiam reperiuntur in verſione Septuaginta Interpretum. & in Vulgata, putat Morinus validiſſimum hauſiſſe argumentum ad comprobandam Autentiam codicis Samaritani. Roborari autem cenſet eo quod in nonnullis codicibus Hebræi textus compareat lacuna, quæ indicet eo loci verborum deficientiam. Sed præter ea quæ docent Origenes & Hieronymus, notandum eſt cæteras Verſiones carere iiſdem verbis. Inſuper notat Chriſtophorus Volfius in ſua Bibliotheca parte ſecunda præſtantiores Codices inter quos Pariſ.ni Bibliothecæ Regis deſtitui lacinia; & Rabbi Menachen de Lonzano accuratiſſimus Hebraicorum Penthateuci codicum obſervator, quamplures ſe vidiſſe teſtatur vetuſtiſſimos, qui eo loci nullum ſpatium relinquunt. Sunt qui putant idcirco ea verba ſuperflua eſſe, cum ibi tantum tradatur Cainum detinuiſſe verbis Abelum, ut deambulando in locum perduceret, ubi commode ab eo occidi poſſet. Nos vero ſolvi quæſtionem credimus ex obſervatione deducta ex indole Hebrææ linguæ, quæ utitur ſæpe verbo perfecto ad ſignificandum imperfectum. Unde ſi legatur & Cain loquebatur Abeli, innuitur Cainum præconceptum odium ſuum ac livorem occultaſſe loquendo cum Abel, & ſimulando animi perverſam diſpoſitionem. Sed die quadam nacta opportunitate eum occiderit. Aliquod temporis intervallum interfluxiſſe indicant verba ſequentia, videlicet *& fuit cum eſſent in agro &c.* Hæc autem phraſis ſæpe in Scripturis denotat etiam diſtantiam temporis.

(1) Gen. 14. 14.

(2) Gen. 7. 19.

(3) 25. 10.

Digitized by Google

ecce ſtatua *quam jeci*, in altero *quam timui*. Denique ubi in Hebræo legitur *ex quo tempore* (1) Samaritanus *a gloria tua*.

Plura alia congerit Hottingerus (2) a quibus ſeſe expedire arbitrantur adverſarii dum reſpondent differre quidem textum Samariticum interdum ab Hebraico, ſed in rebus parvi momenti. Verum reſponſio iſtæc effugit argumentum non ſolvit. Non enim quæſtio verſatur circa ſubſtantiam operis, ſed circa antiquitatem, & utrum Samariticus a textu Hebræo proficiſcatur, quod certe demonſtrant allatæ animadverſiones. Idipſum confirmant ea omnia quæ in textu Samaritano ſuperadduntur, quæque eo loci deſiderantur in Hebræo ſed alibi reperiuntur & præcipue in Deuteronomio. Etenim cum hic liber ſit veluti totius legis compendium, quæ traditur in aliis libris, textus Samariticus deſumit ex eo non pauca aliiſque interſerit verſibus vel Exodi, vel Levitici, vel Numerorum. Hoc autem maxime comprobat ſuper Hebraicum conflatum eſſe Penthateucum Samaritanorum, & ſpectandum veluti paraphraſim. Inſignem quoque permutationem, quam merito dixeris interpolationem, deprehendimus in capite vigeſimo ſeptimo Deuteronomii verſu quarto. Ibi legitur in Hebræo textu Judæos trajecto Jordane lapides conſtituturos in monte Ebal, Samaritani abjecto nomine Ebal temere invexerunt nomen Garizim, & eo quidem cōſilio, ut majorem conci-

(1) Num. 22. 30.
(2) Erucil. Animor.

ciliarent ſanctitatem venerationemque templo ab iiſdem conſtructo ſuper montem Garizim præ templo Jeroſolymitano. Hanc autem opinionem antiquitus conſtat inſediſſe Samaritanis ex colloquio, quod refert Joannes (1) Samaritanæ mulieris cum Chriſto, in quo adſeruit vetuſtos Patres ſelegiſſe eum montem pro cultu, contra id quod ſentiebant Jeroſolymitani. Obſervandum denique in ſupputationibus chronologicis differre textum Samaritanum ab Hebræo, & melioris notæ eruditi hac ſuper re etiam cuicumque lectioni præferendum eſſe Hebræum textum conſentiunt, idque invicte probat Natalis Alexander (2).

Verum quid Valtono reponendum, qui cum agnoverit Morini Sententiam merito labefactari, temperat quidem, ſed artificio quodam, ita ut ſi non autenticum cum Morino eum velit Penthateucum, tamen originarium textum illum eſſe, habet quod probet. Samaritanum codicem, inquit ille (3), plurimum diſcrepat ab Hebræo, non ſolum vocibus tranſpoſitis, ſed ſæpe etiam integris verſibus, & magna parte quorumdam capitum; tum etiam multa in variis locis eſſe repetita in codice Samaritano, quæ ſemel tantum aut nuſquam in Hebræo reperiuntur, multiſque quoque additis, detractis, aut variatis, quæ aliquando etiam ſenſum mutant, hæc tamen quæ ipſe concedit, tanti non ſunt, ut illum a præconcepta ſententia dimoveant, ſed ob-

(1) Cap. 4. 10.
(2) Differt. hic.
(3) Proleg. tert.

Digitized by Google

firmato animo contendit textum Samaritanum depravatum fuiſſe a Doſtai ſeu Doſitheo homine ex Hebræo Samaritano. Verum hæc afferi quidem, ſed numquam probari poſſunt. Antiqui enim, quibus innotuerat & Penthateucus Samaritanus, & perſona Doſithei, temerariam manum injeciſſe ſuper Scripturas minime tradunt. Ab Origene enim accepimus eo dementiæ perveniſſe, ut ſe crederet Meſſiam, ac voluiſſe ut quem ſe fecerat, agnoſcerent Samaritæ; ob eamque cauſam ſenſum detorſiſſe Scripturarum, ita ut Moſes non de Chriſto, ſed de ſe loqueretur & præcipue in Deuteronómio (1) ubi ait *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus: ipſum audies*. Eadem fere habet Tertullianus (2) & Egeſippus apud Euſebium (3). Quamvis Photius (4) in ſua Bibliotheca ſententiam referat Eulogii Patriarchæ Alexandrini, cui in animo erat Doſitheum Scripturarum textus corrupiſſe; iſtæc corruptio deſignatur utique per præpoſteram eorumdem textuum intelligentiam.

Præterea ſi ſedato quocumque animi motu contra ſuos adverſarios rem expendiſset Valtonus, animadvertiſset utique, varietates, quibus ab Hebræo diſcrepat Samaritanus codex, adſcribi non poſse vaferrimo Doſitheo. Etenim differre vidimus Samaritanum ab Hebræo propter Hæbraicarum

(1) cap. 18. 15.
(2) lib. de Præſcript.
(3) Hiſt. Eccl. lib. 4. cap. 22.
(4) Cod. 230.

Digitized by Google

rum ſimilitudinem literarum, quas non ſatis obſervarunt qui textum exſcriberent, unde unam pro altera exceperunt. Hoc autem tribui nequit viro, qui ſuam miſſionem probare velit ex depravatis textibus, cum aliter eos corrupiſſet, ſed ſcribenti imperito. Aliæ etiam diſcrepantiæ verſantur in ſupervacaneis additamentis depromptis ex aliis locis Scripturarum; & hoc hominis eſt, qui exſcribendo quidpiam addiderit perſpicuitatis ergo, & cui propoſitum fuerit Paraphraſim concinnare, quod pariter Doſithei impietati nihil conferebat. Remanet immutatio illa montis Garizim pro Ebal, quæ utique appingi poteſt Doſitheo, qui licet natione Judæus, fuit tamen ſecta Samaritanus. Verum cum habeamus luculentiſſimum Samaritanæ illius Mulieris teſtimonium, quæ cum Chriſto locuta eſt, eam eſſe ſententiam Samaritanorum, idque ab ipſis doceri perpetuo, non eſt recurrendum ad Doſitheum, qui vixit tempore Apoſtolorum, quique totus erat ut verba Moſis de Meſſia in ſeipſum transferret. Hæc omnia firmantur magis ſi conſideretur Doſitheum velut hominem perniciosum ejectum tandem fuiſſe a ſuis Samaritanis propter tumultus quos excitabat; unde minime paſſuros exiſtimandum Penthateucum ab eo corruptum publice legi in eorum Synagogis. Denique cum certi ſimus Samaritas ſedula cura cuſtodiviſſe more Hebræorum ſuum Penthateucum (1), quis credat exemplaria omnia quæ in Europam variis tempori-

Digitized by Google

bus translata ſunt ex oriente, & ab ipſis Samaritis accepta (1) ſcatere tantum Doſitheana depravatione? Non authenticus igitur neque originarius habendus eſt textus Samaritanus, ſed ab Hebræo proficiſcitur, & fortaſſis etiam a Verſione Septuaginta Virali, cui pluribus in locis maxime conformis eſt, ubi ea verſio diſcrepat ab Hebræo (2). Quæ cum ita ſint ex Samaritanorum Penthateuco quidquam argui neutiquam poteſt pro immutatione literarum.

Quæ hucuſque adverſariorum momenta ad examen revocata ſunt, ab iis omnibus communiter uſurpantur. Nonnulla tamen profert Calmetus (3) quæ ab eodem excogitata videntur, ob eamque cauſam egent utique peculiari refutatione. Sed in anteceſſum obſervandum eſt intelligi nequaquam poſſe, qua ratione adhæreat opinioni Hieronymi, & Origenis in ſua diſſertatione ſuper illum Ezechielis textum *Signa Tau*, cum antea in ſuo Commentario tradiderit germanam ejuſdem literalem intelligentiam eam eſſe, quæ docet *Signa Signo*. Præterea in eadem diſſertatione habet pro re certa, & explorata Sacerdotem illum ab Aſſaradone Syriæ Rege (4) in Samariam miſſum ad novam Coloniam circa verum Dei cultum edocendam, etiam Penthateuci exemplar illorum manibus tradidiſſe. Hanc autem certitudinem infirmat utique in ſuo Commenta-

ta-

(1) Hiſt. Prid. Tom. 2.
(2) Volf. part. 2.
(3) Diſſert. hic.
(4) Lib. 1. Ezdr. IV. 2.

Digitized by Google

tario (1), ubi ſententiam refert, nec tamen refutat eorum, quos vocat, & jure quidem doctiſſimos viros (2) qui cenſent Samaritanos tunc temporis nulla habuiſſe Moſis volumina, nullamque aliam normam cultus Deo impendendi adhibuiſſe præter illam, quam a Sacerdote oretenus traditam acceperunt. Quod quidem veroſimile eſt, cum exiſtimari nequeat exteris populis, ſibique inviſis, qui ab Abraam non deſcenderant, ac propria occupaverant domicilia Iſraeliticæ gentis, Sacerdotem illum libros legis patefieri voluiſſe. Quod firmatur magis ex illarum gentium hiſtoria (3) quæ licet timore quodam, ac veneratione verum Deum proſecutæ ſint, unaquæque tamen juxta morem ſuum conflavit Idola ſua, Sacerdotes inſtituit, rituſque retinuit ſuperſtitioſos, & idolatricas ceremonias. Ad hæc, ipſe dubitat Calmetus eodem loco cum Sanctio Lirano aliiſque Sacerdotem illum fuiſſe gentilem, idque arguit ex conſtanti illius populi idololatria, quam non permiſiſſet vel ſaltem exprobraſſet docendo ea quæ in Scripturis traduntur de Deo, ejuſque cultu, Sacerdos Iſraelita ob eam cauſam eo ſpecialiter traductus.

Argumentum vero ab Hieronymi verſione deductum, quam paulatim in uſum accepit Eccleſia, leviſſimi eſſe momenti nemo non videt. Vult enim doctiſſimus Interpres fieri potuiſſe ut inducerentur apud Hebræos novi characte-

res

(1) Sup. [illegible] Reg. cap. XVII.

res in Scripturis quemadmodum Hieronymiana verſio invecta eſt in Eccleſiam, quæ cum difficultate quidem, ſed lapſu temporis invaluit. At, præterquam quod opinio hæc præcipuum deſtruit & commune adverſariorum principium, qui idcirco ſtatuunt immutandas litteras in Scripturis, eo quod Chaldæorum characteri in exilio Babylonis Hebræi aſſueverint, proindeque immutationem illam libenter excepturi, non exiguum intercedit in utroque caſu diſcrimen. Utiliſſimum erat Eccleſiæ, ut verſio haberetur, quæ longe minus ſcateret mendis, præ omnibus quæ ante circumferebantur; unde ſi ab Hieronymo id præſtitum fuit, nil mirum ſi Eccleſiæ deinceps eamdem amplecterentur. Quæ vero exorta eſt primo difficultas ex eo repetenda quia Hieronymi ætate cum pauci, ac fere nulli eſſent quibus innoteſcere potuerit diſcrepantia verſionum ab originario textu Hebræo quem ignorabant, Hieronymi ſuaſionibus difficulter acquieverunt. Agebatur vero in immutatione characteris, ut Hebræi repudiarent illuſtre antiquitatis monumentum, eaſdemque literas, quas ſuperna virtus in Tabulis, & Moyſes in libro legis adhibuit. Cæterum Calmetus ipſe alibi (1) docet nonnullos ſcripturarum libros, ac præcipue Pſalmorum prout reperiebantur in veteri verſione, in vulgata etiam permanſiſſe propter conſuetudinem recitandi eos in ſacris functionibus, ac proinde uti non poterat hoc argumento. Sed hactenus. Cætera perſequi, quæ addit ille, ſu-

(1) Diſſert. de vulg. Verſ.

ſupervacaneum eſt cum vel dubiis innitantur principiis, vel abunde ſuperius refutata ſint præſertim in capite tertio, & quarto.

Semotis itaque, ni fallimur, cauſis omnibus, quæ proponi poſſent ad labefactandam ſententiam, quæ adſerit eoſdem ſemper in Sacris Bibliis permanſiſſe characteres, ſupereſt ut adfirmetur, alteri quæ ipſi opponitur, anteponendam eſſe. Id profecto egimus ut alacriori animo, contentione, & ſtudio ad Hebraicam linguam ſe conferant addiſcendam, qui in penitiori Sacræ literaturæ notitia inſtitui volunt, quod ſane neceſſarium eſt in iis qui ad Eccleſiæ miniſteria adſcribi volunt. Sed ad hanc rem audiendum decrevimus celeberrimum virum Carolum Sigonium, cujus verbis totam hanc tractationem liceat concludere *ſiquid*, inquit ille in Commentario ad Sacram Hiſtoriam Sulpitii Severi, *in nobis ſenſus ne dicas ſanitatis, ineſſet, ab iis quæ ſacris continentur Hebræorum literis, initium ducere deberemus. Nam ſi prima rerum principia quærimus, non altius repetere, quam ab ipſo rerum hominumque, quod ibi tractatur, opificio poſſumus; ſi vera, nihil tam verum exiſtit, quam quod Dei ipſius viventis ore prolatum eſt; ſi gravia quid magnificentius iis inveniri monumentis poteſt, in quibus Sancta Dei Mandata, ſalutaria promiſſa, certa Oracula, cæteraque his adnexa ſalutis noſtræ adminicula concluduntur? Porro autem unde aut virtutum exempla præſtantiora ad perſequendum, aut vitiorum deteſtationes acriores ad declinandum,*

Digitized by Google

bræorum peti Commentariis poſſunt? In quibus ſolis aperte docetur quantum humanum genus, aut religione colenda ſummo præſentis Dei auxilio ſublevetur, aut ea negligenda acri ejuſdem iracundia conteratur. Hæc longe præſtantiora utique ſunt, quam quæ habet Poeta Philoſophus de Socraticis diſciplinis.

FINIS.

IN-

Digitized by Google

INDEX CAPITUM.

PRÆFATIO. pag. 3.
CAP. I. *De ſtatu & conditione hujus quæſtionis.* 9.
CAP. II. *Nihil eruitur ex Scripturis circa ejuſmodi immutationem.* 13.
CAP. III. *Expenditur cauſa, quæ reddi ſolet, cur Ezdras veteres literas abjecerit, petita ex diuturnitate Babilonicæ captivitatis.* 19.
CAP. IV. *Immutatio literarum in Sacris Bibliis inconveniens erat ob diſperſionem Judæorum per totum dominium Chaldæorum.* 26.
CAP. V. *Ex odio Judæorum contra Samaritanos infirmum depromitur argumentum immutationis literarum in Sacris Bibliis.* 30.
Ex cura vero ſervandi omnia etiam leviſſima quæ a Patribus acceperunt, arguitur recte eaſdem literas ſemper retinuiſſe. ib.
CAP. VI. *Ex peculiari quarumdam literarum formatione & figura eruitur eaſdem permanſiſſe literas in Sacris Bibliis.* 37.
CAP. VII. *Ex capite nono Ezechielis verſu quarto non recte concluditur litterarum immutatio.* 42.
Illarum antiquitatem innuit verſus decimus octavus capitis

CAP. VIII. *Nec ex Danielis teſtimoniis capite primo & quinto poteſt probari immutatio characterum in Sacris Bibliis.* 52.

CAP. IX. *Excutitur Hebræorum opinio, ſicuti & veterum Eccleſiæ Doctorum.* 57.

CAP. X. *Hebræorum numiſmata minime favent immutationi characteris in Sacris Bibliis.* 71.

CAP. XI. *De Pentbateuco Samaritano.*

Expenduntur quoque nonnullæ Calmeti obſervationes. 78.

VA1 1541650

Digitized by Google